

Sic ubi 22 Tarpejas 23 Epidaurius anguis ad arces
24 Appulit, & medicam movit 25 Achaia manum,
Flebilis afflicta 26 Libitina recessit ab urbe,
Et 27 Tiberi rediit vita colorque novus.
Salve Heros! Salve Germani gloria circi!
Salve' consiliis dexter 28 Agrippa piis!
Ingredere 29 optatum rebus lapsantibus 29 Astrum,
30 Palladiumque sacrum 31 Pergama nostra subi;
Te Procerum invitant plausus, Te vota clientum,
Te conjuratâ Svecia tota prece.
Si, bellax, unquam tibi Pax arriserit ulla,
32 Arseris & requiem cautior, Ursa, bonam:

Si

22 Capitolas, sic dictas à Tarpeja filia Tarpeji, custodis Capitolii, virgine Vestali, quæ arcem Capitolii Sabinis prodidit. hinc *Mons Tarpejus, Tarpejum saxum, Arx Tarpeja.* 23 *Æsculapius* Apollinis filius ab urbe Peloponnesi *Epidaurum*, ubi templum habuit & religiose cultus est. Fuit hic pater Podalirii & Machaonis, medicus maximus & doctissimus, Vetustas ei dicavit *Angvem*, quod multa huic animali remedia insint. Inde fertur Romanos, cum gravi pestilentia laborarent, consultoque Oraculo juberentur *Æsculapium* Romam advehere, triremem cum Legatis ea de causa Epidaurum misisse. Verum quum Epidaurii Deum opiferum à se inviti dimitterent, ferunt illis cunctantibus ingentem angvem ad Romanorum triremem adnavisse, seseque in puppi in gyrum complicuisse, quem illi *Æsculapium* arbitrati magna cum veneratione Romam advexerunt. 24 appellere hic absolute ponitur. Livius: *Alexandrum Epiri Regem in Italiam classe appulisse constat.* 25 Peloponnesus, ubi modò dicta urbs *Epidaurus.* 26 Metonymicè pestis, mors, proprie Dea funerum est. vide p. 85. n. 23. 27 Romæ. Syneed. 28 v. p. 120. n. 20. 29 Geminorum instar, puta Castoris & Pollucis, qui periclitantibus nautis opitulari creduntur. vide p. 55. n. 22. 30 *Palladium*, Palladis simulacrum in arce Trojana cœlitus delapsum, quo salvo salus imperii constabat, alii dicunt *Palladium* fuisse ex ossibus Pelopis à Scythia quodam fabricatum & Trojanis venditum. surripuerunt hoc fatale donum Ulysses & Diomedes, quo factò urbem tutelari Palladis numine spoliatam, infirmam captaque facilem reddiderunt. Ovid. *Priamidemque Helenam raptam cum Pallade captam.* 31 Trojam. 32 si desideras, exoptas: si tibi cordi est. vide pag. 71. n. 80.

Si vis in rapidos exspumans tristius æstus
Subsidat refluis 33 Volga cruentus aquis,
Huic 34 Cynea mansueta, precor, des otia fandi,
Et tanto pendas Nestore dicta memor:
Effera quod Martis nec vis, nec perficit ensis,
Cæsare, crede mihi, vindice lingua facit:
Hæc galeam tepido faciet servire ligoni,
Falcibus & gladios obruet, arma togis:
Postibus hæc claudet 35 Fanum Latiale reductis,
Et valide advolvæ grandia saxa seræ:
Intus marmoream bellum religabit ad aram,
Mille simul 36 Furias funibus atque 36 Metus:
37 Stipabit fauces ramo pacalis Olive,
Obstruet & rimas palmulâ, lane, tuas,
Ut nec Vis, nec Fama, nec Invidia æmula laudis,
Nec mage suspicio permeet, atque Dolus:
Nobile 38 Saturni nos hæc transmittet in 38 aurum,
Secula nec priscis deteriora feret:
Pace animos, hæc pace comas, pace ora ligabit,
Et dabit æternâ fœdera pacta fide.
Ergo agite, & stimulis animos cælestibus icti
Tristia jam, 39 Borei, mittite bella, 39 Joves:
Austriacis discant salibus mitescere Sveci,
Evomere & bilem barbarus 40 Occa suam:

Fæde-

33 Russia, Synecd. Allegor. 34 per Antonomasiâ Legato, vide p. 120. n. 21.
 35 v. p. 75. n. 26. 36 Terror, Pavor & Furor Martis equi finguntur à poëtis.
 37 stipare, densè componere, implere est. Syethicè, igenstoppa, ihoppacka. Virg. ---
 stipaque carinis Ingens argentum. 38 in aurea secula, quæ sub Saturno fuere,
 39 Hyperboreæ Potestates. 40 Russia.



Fœdere adunentur coëuntia Numina sancto,
 41 Plausaque perpetuo 42 glutine corda ligent.
 Sat Marti Furiisque datum, sat tristibus Umbris:
 Nec 43 Lethæa capit funera tanta 43 ratis.
 Cernitis ut passim navalia Botnica cadent
 Ossibus, & Balthis sanguine utrinque rubet?
 Turpiter eversas pecudes stabulantur ad aras,
 Inque 44 adytis 45 dirum belliger hinnit equus?
 O! tandem sapite, & dubiis ne fidite fati;
 Ancipites jactus alea Martis amat.
 Hæc consulta dabunt FRIDAGIA, discite, Regum
 Qui volet alterutri cedere, victor erit.

41 Composita, conciliata. Aufon. Novit equus plausa sonitum cervicis amare.
 42 tratatè concordia, amicitia, vide p. 120. n. 16. 43 cymba infernalis, qua Charon, portitor inferorum per Stygem & Acherontem animas transvehit. Propert. Scandenda est torvi publica cymba senis. hinc adagium: alterum pedem in cymba Charontis habere, mit einem Fuße auff dem Grabe gehen. 44 Adytum ab æ & δῶν ingredior. est locus secretior in templo, ad quem nulli accedere licebat, præterquam Sacerdoti. Virg. Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla Horrendas canit ambages. 45 pro dirum in modum, adverbialiter.

ARCTOS PULLATA

TUMULO

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS MAGNÆ FIDEI VIRI
 REVERENDISSIMI PATRIS AC DOMINI,

D. N. GEORGII WALLIN,

S. S. THEOL. DOCTORIS CELEBERRIMI,
 SUPERINTENDENTIS Diœcesios Norlandiarum Hernöfandensis Eminentissimi, PRÆSIDIS Consistorii ibidem longè Gravissimi; Nec non Gymnasii Regii Scholarumque EPHORI Adcuratissimi,

Nat. d. 1. Maji 1644. Den. d. 8. Julii 1723. Sepult. d. 27 Augusti.

Illacrimans.

Non



*On jam bellaces animas, non 1 facta tropæis
Busta, vel hostili tepidos à sanguine manes,
Præcipitesque ducum mortes, & vulnere Regum
Dira cano vates, odiisque immixtus & iris
Audaci mærens calamos intingo cruore.*

*Tunc habuit Bellona Virum, quem luxit, & ipsi
Grandior inviso defleta est Purpura 2 Volgæ,
Ingemuitque procul langventi 3 Sevo Melero.
At Martis dolor iste fuit. Mitissima jam nunc
4 Marmora me Charitum, me me placidissima tangunt
Funera, & imbellis sedata cubilia Pacis:
Exequias, Doctrina, tuas, victuraque chartis
Ossa queror, Suadæque rogam tumulumque potentis
Eloquii, & celebrem Norlandi Præsulis urnam
Aronisque Gothi cineres, quem gratia Divum,
Sacraque regali venerata est Purpura vultu
Sceptrorumque nitor: qui raro pondere 5 Pithûs
Plenus, & æthereæ validissima buccina causæ
Cælorum secreta tulit: qui flumine fandi
6 Arctoum demulxit 6 ebur: qui regna palato
Perculit, & grandes stupefecit voce 7 Tiaras.*

*Omnis in aëriis 8 Arcturi cautibus humor
Liquitur, & totum in lacrimas non nescia mortis,
Canities Veneranda, Tuæ, tantique doloris*

X

Absor-

1 id est, clara triumphis. 2 Synecdochicè Russia. 3 Norvegia, Synecd. v. p. 80. n. 83. 4 sepulcra marmorea. Meton. 5 Pitho, à πειθω, persuasionis Dea à veteribus credita est, quam Ennius *Suadam*, Horatius *Svadalam* appellavit. 6 Aulam Syethicam. 7 Reges, signum pro signato, vide p. 1, n. 6. 8 Norlandis rupibus,

Absorbet Natura gelu. Ferale madentes
 9 Parrhasis obnubit vultus, & in equore condi
 Appetit adverso, Scythicaeque latere sub ulva
 Indignata Tuos obitus: sine luce 10 Botes
 Trux sedet impatiensque sui, plaustrumque supinat
 Temonesque suos, & hiulco diriget astro:
 11 Andromeda redeunt sua vincla, putatque jacere
 11 Persea, & antiquis contristat sidera fati
 Cuncta dolens: laxis trepidans 12 Ophiucus anbelat
 Ignibus, elabique finit, quem presserat, anguem.
 Ipse miser scopulis piscator pendulus udis
 Retia, & ignavos Norlandus projicit hamos,
 Augerique stupet pregrinis Botnida limphis,
 Turbarique salum vicini murmure Balthæ.
 Rupicola argentes qui sorbet Jemta pruinas,
 Exirenum circa fati dispendia Tornam
 Spargit, & invisas Boream 13 Pharon isse sub umbras
 Lappiones Fennoque docet: decedere Patrem
 14 Anger ait, tumulto claudi Mitramque 15 Medelpas
 Prælustrem, dignumque Caput: quin sedibus ipsis

Mysti-

9 subaudi Urfa. patronym foemin. à Parrhasia civitate Arcadiæ, unde Calisto
 Lycaonis filia oriunda est, quam ab Jove imprægnatam Juno in Ursam mutavit.
 Hanc cum filius Arcas rei ignarus vellet invadere, Jupiter ambos in cœlum
 sustulit, & inter sidera posuit juxta polum Arcticum. Juno autem indignata, im-
 petravit ab Oceano, ut illa sidera non sineret ad se descendere, ut alia. 10 sidus
 cœleste ad Ursam Majorem, quod & Arctophylax dicitur, & more bubulci plaustrum
 fequi videtur. 11 vide pag. 3. n. 49. 12 Ophiucus, signum cœleste, quod alii pu-
 tant Herculeum esse, qui in cunis adhuc vagiens duos angves à Junone immisos
 manibus præfecavit: alii Esculapium, quod serpentem tenet. 13 Lumen. vide p. 101.
 n. 30. 14 Angermannus. 15 Medelpadus.

*Mystica, ni fallor, 16 Patarae delubra cieri
 Audio, & in teneros Cirrham descendere questus:
 Ora 17 Novensilium pallent; Pindique remugit
 Limen, & attonita torpescit 18 Gorgone Pallas,
 Indicitque moram studiis, tristesque Sororum
 Exsecrata colos vicinum planctibus aequor
 Verberat, ac tales molitur praefica voces.*

*Projice Phæbe chelyn, rescindite metra Camænae:
 In luctum chorus omnis eat, pro flumine fletus,
 Pro modulis gemitus, & doctæ sibila canna
 Questibus immutent 19 Eurotae littora vestri.
 Occubuit Vindex nostri Tutelaque cætus,
 Materiesque lyrae, & 20 Clarii grave 21 Cymbalon orbis,
 Ille Decus patriæ, & naturæ nobile quondam
 Se superantis opus: delapsum Ancile Deorum:
 Grande Lycaonio Cleri Caput ille sub axe
 WALLINUS fama pridem satiatus & annis:
 Otia qui nobis fecit, qui præmia doctis
 Afferuit, patriæ dias admisit & artes:
 Prætulit illustres aquiloni lampadas acri
 Lapponibusque facem spissa caligine mersis:
 Qui Musis viguisse dedit per inhospita tesqua,*

X 2

22 Ena-

16 Patara, urbs Lyciæ, ubi colebatur Apollo, qui ob id *Pataram* dicitur.
 17 novem Musarum. 18 Medusæ capite, quod scuto suo Ægidi affixit Pallas. vide
 p. 39. n. 20. 19 *Eurotas* fluv. Laconia, Spartam præterfluens, cujus ripæ lauro
 abundant, unde sacratu Apollini dicitur. 20 id est, docti orbis fama, celebritas,
Claros seu *Clarium* Joniæ civitas juxta Colophonem Apollinis oraculo nobilis.
 21 Apionem Grammaticum Tiberius *Cymbalum mundi* appellat, ob nominis cele-
 britatem: quod homines honesta fama donaret, quæ per universum mundum ama-
 biliter resonaret.

22 *Enariasque nives, ubi vix sua pabula muscum
 Pronior eliciet famulanti* 23 *Rangifer ungue,
 Aut pellet formica famem. Non Sceptra ducesque
 Ad tumbam, Vir Sancte, Tuam deposcimus, aula
 Pomposos nolo strepitus fastusque potentum,
 Vel quicquid tumidum crepat ore & detonat auri.
 Incedat fluidis mærens Ecclesia vittis,
 Et furvam funesta trahat per compita pallam:
 Horreat in pullis Ædes, altaria, lychni,
 Cunctaque ferali rigeant anathemata taxo:*
 24 *Linigeri* 25 *mussent mæstum, præsensque ministris
 Nubilus annus eat: sacra rostra cupressus inumbret
 Fuscabitque diem: delubris gaudia cessent:
 Nil* 26 *Tripodes, nil antra Deum* 26 *Cortinave fantor
 Ploratu superante sonum. Sustollite vocem
 Ordinis ætherei Proceres, turbata verendis
 Ora ruant lacrimis, totisque piacula templis*

Instaur-

22 Hyperboreas. *Enara*, palus est ultra Tornam, qua Lapponia Suetica à Norvegica & Moscovitica determinatur, vulgò *Enara*. - Trást. 23 *Rangifer* animal notum in Lapponia & vicinis Arctico locis, qui vehiculo, in scaphæ piscatorizæ formam facto, iunctus per altissimas nives duodecim milliaria nostra uno die conficit. Germ. Nentier, Sueti. Neen. 24 *Linigeri*, gerentes vestes lineas, per Antonomasiam Clerici, propriè sic appellabantur Sacerdotes Isis Deæ Ægyptiorum, qui lineis vestibus indui solebant. Juvenal. *Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo Plangentis populi currit darsifor Anubis*. Ovid. *Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isin Quæsieris*. Idem: *Nunc dea linigera colitur celeberrima turba*. 25 vide p. 113. n. 21. 26 *Tripodes* dicebantur mensæ in Apollinis Delphici templo, super quibus recumbentes Phœbades responsa reddebant, quas etiam mensas *Cortinas* vocarunt, à corio Pythonis ita dictas, cum eo Tripus Delphicus regeatur. Alii tamen *Cortinam* vas æneum vel aureum esse crediderunt tribus effunduntur pedibus, in quod mergebatur Phœbas vaticinatura, vide pag. 4. n. 69.

Instaurate Patri, & divos 27 componite Manes;
 Ingeminate preces & laeso vota Tonanti:
 Numinis ira patet, cecidit Pietatis & omnis
 Magnanimæ Virtutis Apex. Hoc Prasule certum
 Invenit pretium, & latè sua semina misit
 Relligio, summique potens reverentia cæli;
 Ista sacrosanctos inter Suadela maniplos
 Detonuit, potuitque animos fregisse rebelles
 Adversosque polo: visum palleescere quodvis
 Crimen, & improbitas dictis percussa severis
 Horrui, & sacrum timuit vesania fulmen
 Et tonitrus, Vir clare, Tuos: non terruit illum
 Impietas, non aura levis, non nixa priorum
 Lege superstitio, & veteris constantia falsi:
 Sola fidem fecit scripti fiducia veri,
 Nec dubia 28 æthereis oracula prodita 28 Delphis,
 Atque 29 cataphractis spes imperterrita Vatum
 Eloquiis, unoque Deo doctore triumphans.
 Errori præclusa via est, nil hæresis ausa,
 Schismaque deliri cætus ratione ministra
 Passim 30 sensa sinistra serens: erepta Sophistis
 Arma dolique catis. Heic enervatus hebescit
 Bellarminus atrox, heic tota Sohnius arte
 Deficit, infando conturbans secula fato

X 3

Et,

27 Componere verbum usitatum olim in funcribus, quoniam cadaverum ossa atque reliquias in urna componebant. Horat. *Omnes composui: felices, nunc ego resto.* 28 id est, Cælo. 29 munus, confidentibus. 30 Heterodoxa dogmata.

Et, Calvine, tuus 31 genuinus frangitur, atque
 Infortunatum Crellii prensatur acumen.
 His latuit Pax exuviis litesque perosum
 Pectus, & assuetum populis credenda fateri,
 Quæ cunctis sine nube patent: quæ tuta sequatur
 Simplicitas suffulta Deo: sic fœdera sanctis
 Sanciri, coisse pios, componier orbem,
 Nec placitis dirimi socios: ea sacra vetari,
 Quæis 32 rostrum sibi quisque struit sub 32 fornice primo,
 Nescio qua pietate 33 gravis, securus & artis
 Usque suæ 34 cœlos crepat, & divinatur 35 anhelus
 Aut pœdore foci faber, aut vertigine 36 fullo.

Vix effata Dea est, cum me 37 pertexere telam
 Fuffit, & abruptos ad calcem ducere sensus
 Immenso mœrore sibi, Patrisque verendi
 Fata secuturos exhausta docere nepotes.
 Eloquar an fiteam? me 38 me pudor infimus urget

Nomi-

31 *Genuini*, dentes posteriores, $\sigma\omega\Phi\rho\upsilon\nu\eta\varsigma\eta\epsilon\varsigma$, qui in extrema gingiva in homine nascuntur novissimi. Quoniam autem hi dentes sub genis & in postrema mandibulæ parte veluti occultati sunt, neque ita facilè patent aspectui, quemadmodum primores, aut canini, factum est, ut *frangere genuinum* accipiat pro clam alicui detrudere, vel potius vires & impetum infringere. Persius:-- *fricuit Lucilius urbem, Te Lupe, te Mari, & genuinum fregit in illis.* 32 h. e. clandestina illa conventicula, quæ privatim à publici ministerii cavillatoribus fanaticis (quos D. Lutherus Windel: Prediger appellat) habentur. 33 gravidus, plenus, tumidus. 34 id est, jaçtat colloquia divina, apparitiones Angelicas, & similia. 35 afflatus, percitus furore fanatico: qualis infaniens ille Ajax apud Homerum, qui in pecora sævit, Agamemnonem se & Ulysses occidere ratus. 36 *fullo* idem ac *natta*, qui purganda poliendaque vestimenta accipit. Ein Wälcher. Ovid. *Hanc cole, qui maculas lasis de vestibis auferis.* 37 id est, curriculum totius vitæ Nostri percurrere. translatum à textoribus, qui primò telam ordiuntur, & orfam deinde texunt. Cic. *peritex modo, Antoni, quod exorsus es.* 38 Epizexis.

*Nominis in tanti famam, laurosque superbas
 Ire Viri, quem dia suis 39 Polyhymnia plectris
 Vix canet, aurata vix dicet Phæbus 40 avena.
 Nunc mihi præcipites cautes livoris iniqui,
 Nunc Phaëthontei subeunt vestigia currus:
 Jam vetus immeritam 41 latrator personat aurem
 42 Posticusque furor, 43 nigrum jam cerno 44 Theona.
 Plurima cum metuam, plus hoc metuuisse juvabit,
 Fabula ne fiam vatum, ne conterat omne
 Insulsum vis docta caput, tamen auspice tanta
 Non minus hoc securus opus grave moliar, atque,
 Si nequeam lauros, 45 nebulas Helicone merebor.*

*Tuque adeo, qui jam tanto pia vota Parenti
 Solvis, & egregio lacrymarum rore Sepulcrum
 46 Dulce rigas, Stirps digna, Senis cui Nomen & omen
 Auspiciis crevere bonis, nec degener Heres,*

Cl-

39 *Polyhymnia*, una Musarum, à cantus multitudine dicta. Virg. in Epigram. *Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia cantu.* 40 fistula, qualem pastores Ebi ex calamo sive culmo fegetis conficere solebant. Virg. *Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.* 41 Metaphoricè Momus, obtrectator, quem pari ratione *Canem* dixit Horatius. *Quid immerentes hospites vexas, canis, Ignavus adversum lupos?* 42 obtrectatio, sanna, irrisio à parte posteriore facta. Persius: --- *postica occurrite sanna.* 43 *Niger* homo pro improbo, perfidioso, malisque moribus prædito. Horat. --- *absentem qui rodit amicum, Qui non defendit alto culpante, solutos Qui captat risus hominum famamque dicacis &c.* -- hic *niger* est, hunc tu *Romane* caveto. 44 *Theon*, poeta quidam fuit rabiosæ cujusdam loqvacitatis, petulantissimæque maledicentiæ. unde factum est; ut *Theonino dente rodi* cum dicamus, qui convitiis laceffitur. 45 *Nebula* pro nugis. Persius: *Grande locuturi nebulas Helicone legunt.* id est, figmenta inania & nugacia poetarum. Plaut. *cujus ego vel nebula cyatho septem noctes non emam.* ubi pro re nihili, inde *Nebulones* dicti. 46 adverb. id est, piè, amabiliter.

Clarior & fætis Phœnix producte favillis
 Unice: quem pridem tota Permesside lotum
 47 Leucorides stupuere 47 Deæ, Mitraque decenti
 Elatum nupsere caput, coramque cathedris
 Grandibus 48 inclamâre virum, Vir clare, faveto:
 Ausibus indulge nostris, nec fronte superba
 Militis ingenui rudiozem rejice 49 cannam.
 Delectant doctos tenues aliquando Camæna,
 Rustica & argutam demulcet Pallada 50 buxus:
 Aspicias ut pleno ripas si everberet 52 alveo
 Oceanus, fluviosque tamen fontesque minores
 Excipit, & modico serpentes murmure rivus.
 Sic solet esse bonis venæ tentamen amori
 Pauperis, atque rudi sudatum 53 incude poëma.

Dic mihi, Musa, Virum (nec enim dixisse pigebit
 Incluta securæ quem vindex tradere 54 Lethe
 Fama timet) cujus fines fiducia parvos,
 55 Cæles & angustos vis indignata penates
 Sortis in invidiam caput exertavit iniquæ
 Altius, & grandes emensa est gloria passus:
 Excelsæ potuit qui mentis munere summis
 Terrarum placuisse Diis: pietate 56 Tiaras

Fulci-

47 Musæ Wittenbergenfes. 48 pro inclamavere. Syncope. 49 carmen. 50
 fistula buxea. 51 exuperet. 52 bisyllabum. 53 tratatè ingenio, seu arte. 54 Le-
 the, fluvius inferorum, cujus potæ aquæ oblivionem pariunt. Lucan. *Quam ju-
 xta Lethes tacitus perlabitur amnis Infernis (ut fama) trahens oblivia venis.*
 Catull. *Et tua Letheis acta dabuntur aquis.* 55 singulariter pro cælestis, divi-
 na. Ovid. de Augusto: *Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti, Vestra
 procul positus Carmen in ora dedi.* 56 Regias Majestates. vide p. I. n. 6.

*Fulcire, & 57 dominos cælo submittere fasces.
 Moribus his liquidò quondam prælust Olympus,
 58 Lactentesque novo circumstetit omine 58 cunas
 Hinc atque hinc radios astrorum ex ignibus ultra
 Credibile indulgens Puero, totumque favore
 Imbuit, extremo quem Virtus edere nisu,
 Ipsaque propitium vellet Fortuna mereri.
 Nec segnis Lucina fuit: cumulata tot uno
 Pectore dona Deum producere gaudet, & Arcton
 Demeruisse sibi: juxtim stetit excita Pallas
 Grajorum è tumulis, Sophieque diserta que 59 Pithe
 Nutricum in numero vigiles, neque largius unquam
 Inseruere uber, vel cum ter maximus Aron
 Sugeret, in Pharias quæ postmodò dideret arces,
 Vel cum prima tener fandi Chrysostomus olim
 Divarum è mammis elementa 60 extunderet ore.*

*Usque adeo in cunis Proles generosa monentum
 Mitibus imperiis paulatim accommodat aures,
 Maturasque senum spes & pia vota Parentum
 Occupat ingenii vivacis masculus ardor.
 Vix fantem stupuere viri: præfaga senectus
 Audita est Procerum Phæbi, cum rectus & acer
 Staret ad instructas orator pusio mensas,*

Y

Divi-

57 Adjectivè pro dominantes, vide p. 118. n. 3. 58 continens pro contento.
 vide p. 130. n. 27. 59 Svada. v. p. 161. n. 5. 60 exugeret, sugendo eliceret, stu-
 diosè disceret. Virg. Et varios casus meditando extunderet artes,

Divaque 61 lallanti sacraret munera lingua:
Jam 62 Mitra micuere nota, 63 Flamenque Dialis
Progenitus cerni poterat: sapientia primam
Antevolat pubem, formatoresque juventæ
Præverti se mirantur, fixique stupore,
Hic erit, hic nostra tandem sublimior arte,
Hic, ajunt, librâ penetraverit 64 belluo Athenas,
Hic Latium Solymasque Puer, quid denique restat
Discendum sublime viro: privata faceffat
Hinc doctrina procul: parieque orbique videndum
Protrahet ostendetque dies, non sufficit isti
Calliope tota ingenio, mentem altius urget
Spiritus augustis olim venerabilis aulis.

Quid 65 mussas, Natura? juvat transcendere cunas,
Aussiciisque suis 66 deses prævertere fatum:
Afferit hanc animosa sibi solertia palmam,

Nil

61 balba, blæsa, hæsitante. *Lallare* antiqui dixerunt pro sopire, de infantibus loquentes, quod nutrices, cum eos dormire volunt, *lalla, lalla, lalla* dicere soleant. Persius: *Et similis regum pueris pappare minutum Poscis, & iratus mamma lallare recusas?* Hinc *Lallus* ἄπὸ τοῦ λαλεῖν, Deus qui præerat Næniis illis balbis, quas nutrices pueris occinunt, & pueros reddere cogunt. Aufon. *Nutricis inter lemmata, Lallique somniferos modos.* 62 Doctoris. Meton. 63 *Flamen* sacerdotem significat. Ratio autem nominis tracta est à filo, quo Flamines quasi Filamines caput cinctum habebant, cum pileum per æstus ferre non possent. Ceterum sumebant ab eo Deo cognomen, cui sacra faciebant: ut *Flamen Dialis*, ἄπὸ τοῦ Διός, h. e. à Jove, quasi Jovialis. *Martialis* à Marte: *Quirinalis* à Quirino, id est, Romulo. 64 Cicero per translationem *heluonem librorum* dixit pro pimis avido lectore, & qui legendo fatiari nequit. Mart. *Non opus est nobis nimium lectore gulofo.* 65 h. e. quid hæsitatis Parentes. vide p. 113, n. 21. 66 iners, ignavum, tardum, id est, fortunam novercam. Ovid. *Non facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res Angusta domi.*

Nil genitor plebejus habet, quod vindicet inde.
Scilicet haud Virtus tantum succrescit in 67 Ostro,
Straminea quin saepe casa latet inclitus heros
Heroumque pater : vili sub cespite primi
*Et *Marium fovere lares, cunasque 68 Qvirini*
Pastorum rexere manus, & mole laborans
Aufonium tenui cunabula debuit 69 Albæ
Imperium: talis Sicula tellure potestas
In Figulo Rectore stetit, flexitque sub una
Sceptra lutumque manu. Quid nomina prisca morabor?
*Cerne *Pharos ternas nostræ miracula terre*
Maxima Normannum docti decus orbis & augmen,
Stigzeliumque Patrem, & lumen quo 71 Benzela secli
Audet adoratas tot sola laceffere Mitras :
Hos etiam genitrix 72 eductos paupere mamma
73 Acris in augustam lucem protrusit egestas.
74 Cedite cæca cohors, queis garrulus omina dictat

Y 2

Pi-

67 purpura. * *Cajus Marius*, septies Romanorum Consul, vir fortis & strenuus ex municipio Arpinate humili loco natus, qui diu vitam rusticam egit procul ab urbanis negotiis. v. p. 61. n. 79. 68 Romuli. 69 *Alba*, civitas in Latio ab Ascanio condita, & ab omine porcæ albæ ibidem inventæ denominata. Virg. --- *genus unde Latini Albanique patres, atque alta moenia Roma.* vide sis Æneid. l. 3. p. 257. 70 *Agathocles Rex Siculus*, humili genere natus, patre scil. figulo. Hic vasis aureis frequenter figulina solebat admiscere, ut ostenderet fordidissimæ etiam conditionis hominibus per virtutem ad honores iter patere. Aufon. *Ficilibus coenasse ferunt Agathoclea regem, Atque abacum Samio saepe onerasse luto.* * *Lumina patriæ.* 71 Pagus Westrobotniæ, cui b. m. Archiepiscopus Upsalienfis D. Ericus Benzelius nomen & cunas debet. 72 pro educatos, nutritos. Terent. *Inde ego hunc majorem adoptavi mihi, eduxi à parvulo, habui, amavi pro meo.* 73 fortis, erecta, magnanima. 74 ita ferè poëta quidam Christianus: *O cæcas mentes, quas picus in omina ducit, Et regit arbitrio fibra vel exta suo.*

*Picus, & inspectæ spirant oracula fibra:
 Cuilibet in dextra sors est: sibi sidera quisque
 Flectit, & à nobis fati censura vibratur:
 Nulli clausa via est crescendi: hic stemma vetustum
 Attollit meritis panè ad confinia sceptri,
 Ille humilem illustri virtute supervolat ortum,
 Juraque principibus dispensat mixtus 75 Achivis
 Cunarum victor. Stat cælo lancibus æquus
 Cujusvis meritum librare, ut præmia dignos
 Et stimuli ignavum maneant inhonoraque 76 fucum
 Esuries: suda, Virtus, conare, 77 fatiga
 Pectus honorato molimine, cedere noli,
 Obfirma mentem, cupit expugnariether æther,
 Et votis aperire viam, viteque labores,
 Amplior æterna cumulabit adorea laude.*

*Discite segne genus, qua surgat origine Virtus,
 Unde ea pars oritur nostri, quæ sola parentem
 Æthera, & altrices reputat pro matre Camænas:
 Et quæ mortales animas commercia Divis
 Associant, spondentque polo meliore locari.
 Scilicet hanc labor & longus 78 profeminat usus,
 Et studiis saturata quies, mens 79 anxia cæli
 Et famulata Deo, fulti gravitate calores,*

Et

75 Heroibus, quales inter Achivos fuerit Achilles, Ajax, Ulysses &c. 76 *Fucus*, Ein Hummel, non invenustè transfertur ad homines otiosos & ignavos, qui quum nihil egregium præ se præstare possint, alienis tamen laboribus insidiantur, falceinque in messem injciunt, cujus ipsi sementem non fecerint. 77 *Afyndeton*. 78 parit, propagat. Manil. *Semper enim ex aliis alios profeminat usus*, 79 intenta cælo.

Et duros 80 haurire potens patientia casus.
 Hos Dea natales, hos ortus mascula Virtus
 Vindicat, infantisque equat cunabula mundi,
 Sideraque & summos contingit sanguine cælos.
 Este procul pigri, devotaque pectora glebæ,
 Semisepulta cohors, queis tardo in corpore stertit
 Indignans 81 cælorum hospes, quos gloria terret,
 Particulamque 82 auræ moles terrena coercet,
 Affligitque solo torpor; mens enthea nescit
 Delituisse domi: residis vestigia plebis
 Et sordes egressa fugit, cælumque volatu
 Carpit, & augmento spatiosos explicat orbes.

Augurium probat eventus, nec 83 haruspice Musæ
 Certius ad Tripodas fudere oracula Sibyllæ.
 Creverat ut spatiis igitur majoribus ætas,
 Jam studiis matura suis elementaque supra
 Mens sapuisse parat, nec quantum discere gestit,
 Sufficit assiduus doctor: præcepta modumque
 Anteit, & fidum confundit cura magistrum.
 Ergo Pater Materque pii, foculique valento,
 Et tristis ferula sceptrum plageque sonantes,
 Et matutino subsellia rauca tumultu.
 Jam nunc invisis caput exsertare tenebris
 Ardet ovans, laudumque faces attollit honesti
 Ambitio: jam Sala parens quæ flore perennat,

Y 3

Æter-

80 exandare. tralatè pro sustinere, consumere, patièdo superare. Livius:
 haurire dolorem, calamitatem. Virg. spero equidem, si quid pia Numina pos-
 sunt, supplicia hausurum scopulis. 81 anima. 82 subaudi divinæ. 83 Haruspex,
 qui ab harugis, id est, hostiis, inspectis futura prædicit,

Æternos Sopiæ colles lauretaque Phæbi
Visere Noster avet, totaque Aaganippide mergi.
Non illum funesta Noti, non 84 Japygos ausa
84 Caurorumque minæ: non illum tristis egestas
Infido cumulata mari, non naufraga tardant
Littora, & insani dominans injuria Ponti.
Bacchetur Tethys ferale: elementa minentur
Omnia: 85 liventem venti 86 transversa frementes
Induerint habitum, trepidentque tonitribus axes:
Et pietas & causa gradum 87 Phlegethonta per ipsum
Sternunt, & 88 decimas Virtus supereminet undas
Instantis securæ mali, mortisque metusque
Una triumphatrix: Virtus exercita palma est,
Quæ pressu assurgit: Virtus per dura, per egra
Perque abrupta meat: per mille pericla corollas
Texit, & angustas angusto ex tempore lauros.

Agnovit dignum 89 princeps Academia civem,
Floriparum ingenii ver autumnumque feracem
90 Consilii gratata, stupens morumque decoram
Temperiem, erectosque animi prænobilis ignes.
Nulla mora est, diæ mentis rapidissimus ardor

Nescit

84 Japyx, Caurus, seu Corus propriè ventus occidentalis est. Nordwest.
 Synecdochicè pro quovis vento. 85 vide p. 102. n. 42. 86 in transversum adverbialiter.
 87 Phlegethon, fluvius inferorum, flammis æstuantibus rapidus: à φλέγω, ardeo.
 Virg. *Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon,*
torquetque sonantia saxa. 88 decimus seu decumanus pro maximo ponitur.
 Sic Ovidius decumanum fluctum per periphrasin describit: *Qui venit hic fluctus,*
fluctus supereminet omnes, Posterior nono est undecimoque prior. i. e. decimus,
 idèque maximus. *Decima ruit impetus unda,* Idem. 89 Upsalia. 90 Judicii.

Nescit stare loco: quicquid complectitur aether.
 Et vasto natura sinu seclusaque cæcis
 Visceribus terræ penetrat, mundique labores.
 Attendit, doctæque animum ratione fatigat.
 Tunc bibit Aonios sæcundo pectore fontes.
 Tunc dulces fandi Veneres Suadæque medullam
 Haurit, & in nervos recoquit succumque salemque,
 Inque suos usus molli nutrimente transfert.
 Otia damnantur: quod Solis fortè labori
 Invidet hora brevis, sætæ 91 fuligine noctes
 Sufficiunt vigilæque quies, momentaque sacris
 Partitur curis prægnans mensura dierum:
 Quælibet in lucro lux est. Frustra impiæ Circe
 Admovet 92 hamatam vocem, & ferale 93 coruscum
 Luminis 94 improbuli: frustra stat 95 Bacchus in auro
 96 Ardescens, patulosque incassum provocat haustus:
 Nulla voluptatum virides effæminat annos,
 Quidquid dulce nocet, tristi transcribitur orco.
 Quid celeres fluxere dies? juvenescere Musas
 Adspicio, atque ingens doctrinæ accedere pondus
 Nostrati: magnis 97 Pataræ jam mistus 97 alumnis

98 En-

91 puta lucubrationum. Quintil. fuligo lucubrationum oratori bibenda. 92
 subdolum, insidiosam. Auctor pag. 22. n. 61. Viscatos Cypridos choreas, hamata-
 que Facchi Munera, degenerum contagia pessima morum &c. 93 substantive.
 niētus nūmsque loquaces: translatum à fulgure. Sverth. Lättfärdige och be-
 dråglige miner. 94 oculorum falacium, pæulorum à pætus, qui huc atque il-
 luc velociter vertuntur. 95 Metonymicè vinum in aureo poculo. 96 fulgorem e-
 mittens. --- Tyrioque ardebat murice lana. 97 id est, studiosis. v. p. 163. n. 16.

98 *Enthymena rotat: stupet invida turba disertè
Orantem, & vetulo pudor est didicisse Magistro.*

*Jam juveni 99 Latium, jam tota innotuit 99 Hellas,
Jam 1 Clarias exhausit 1 aquas imberbis, & ipsum
Pegasidum ascendit, Phæbo mirante, cacumen.*

Quomodo quidve loqui deceat: quid inutile, quid non:

Quid solidum fractumve crepet: quid gesserit orbis,

Et quibus ingeniis mandarint secula fasti:

Quid sibi præsidii ratio promittat ab arte,

Quidve 2 Syracusis 3 radius signarit 2 arenis,

4 Prætextata tenet, doctèque edisserit ætas.

Nunc antiqua virum scrutatur dogmata, & ævum

Quæ sanxit vegrande patrum: quo percitus 5 æstro

Ma-

98 *Enthymema*, pro quovis syllogismo. propriè Dialecticis Syllogismus est imperfectus, in quo ex unico enuntiato inferitur conclusio: ut, *Castitas est virtus, ergo amplectenda.* nam ad perfectionem Syllogismi deest prior enuntiatio, quam majorem vocant. *Virtus omnis est amplectenda &c.* Juvenal. --- aut *curtum sermone rotato Torqueat Enthymema.* 99 h. e. Auctores Latini & Græci. I studia Academica. vide pag. 163. n. 20. 2 Geometriæ, cui operam dedit *Archimedes*, Syracusius, Geometricæ ac machinalis, sideralisque scientiæ consultissimus & celeberrimus. de cujus Sphæra vitrea, in qua mira arte dissimiles motus circulorum visebantur, ita *Claudianus* scribit: --- *jura poli regnumque Deorum Ecce Syracusius transtulit arte Senex: Percurrit proprium mentius signifer annum, Et simularata novo Cynthia mense redit.* 3 Radius h. l. virga est, qua in pulvere Geometriæ describunt mensuras atque situs rerum, locorumque earum. *Virg. Descripsit radio totum qui gentibus orbem.* Idem: --- *cœlique meatus Describent radio, & surgentia sidera dicent.* Radius item ponitur pro linea. *Cic. Terra est corpus globosum, cujus omnis extremitas à medio radiis attingitur.* 4 Pueritia. vide pag. 25. n. 9. 5 quâ causa motus, impulsus. *Oestrum* propriè est insecti genus horrifono strepitu, quod Latini *Asilum* vocant, vulgò *Tabanum*, Sæthicè *Wälgeting*, *Virg.* --- *Oestrum Graji vertèrè vocantes: Asper acerba sonans, quo tota ixtèrvia silvis Diffugiunt armenta.* Eo Juno in pellicem Io immisso, eam in furorem egit. Ita & poëtæ divino furore correpti, *œstro perciti* dicuntur.

Magnus Aristoteles divini castra Platonis
Liquit, & ingenti confudit lite cathedras:
Quidnam Socraticæ dubitantia scita catervæ
Intortis querant ambagibus; unde 6 Cleanthis
Accrevit genius: queis formatoribus hausit
Pythagoras 7 animæ exilium mutataque crebro
Hospitia, ac sensim primam ejurantia formam.
Nunc Senecæ 8 divina placent: nunc forte Catonis
Jussa verenda notat solers: interrogat omnes
Grajorum Latiique animas, quid sceptrâ gubernet
Justius: hic Fabius momenta senilia prodit,
Hic Xenophon: Crassum quid turpi impleverit auro,
Quid 9 Syllam iratis 10 Catilinam & miserit umbris;
Cur præstet dominum esse sui, frænare furores,
Vindictam sopire mora: juvat hos juvat illos
Subjicere ingenio memori: modus omnibus unus
Omnia non hebeti mentis pervadere sensu.
Irruere in mundi senium: Virtutis avitæ
Mirari monumenta: omnes accedere gentes,

Z

Qva

6 Cleanthes, Philosophus Stoicus, Zenonis auditor & scholæ successor, pauper & laboriosus, qui noctu aquam hauriendo & pinfendo victum quæritabat, per diem verò in studiis exercitabatur. 7 puta Metempsychosin, id est, transmigracionem animarum ex uno corpore in aliud. Unde Ovid. Pythagoræorum dogma explicans ait: *Morte carent anima, semperque priore relicta Sede novis dominibus vivunt, habitantque recepta.* Ex hoc Pythagoræ dogmate inducta est ab esu animalium abstinencia, ne foris (ut festiviter ait Tertull.) *bulam quis de aliquo proavo suo opsonaret.* 8 scil. dogmata, scita. 9 Sylla nobilis Romanus, qui Jugurtham victum retulit, Mithridatem debellavit, Cinnæ dominationem fregit, & contra Marium cruentissimum civile bellum gessit, Fautoresque ejus crudelissime necavit. Deinde cum solus Romæ rerum potitus fuisset, deposita Dictatura, obiit morbo pediculari, vel, ut alii volunt, nimia ira sanguinem vomens. 10 v. p. 43. u. 49,

Quà licet, & u pictos se circumferre per u orbes:
 Nominibus spatiiſque locos diſtinguere: terras
 Imperiis ſtudiisque ſuis diſcernere: cœli
 12 Ardua, naturæ mores, ſortisque frequentes
 Regnorumque vices: rerum cognoscere cauſas
 Tractandique modos tanta putat indole dignum.
 Nec ſua Relligio iuuenem myſteria celat;
 Sed fati præſaga ſui, florebitus, inquit,
 Hoc duce, quâ ſpatiis ſeſe melioribus Arctos
 Porrigit, hoc fixas ſperamus vindice ſedes,
 Auſaque tartarei nil formidabimus orci:
 Crevit amor Cœli, & metas effuſa per omnes
 Eduxit jugi Pietas fervore iuventam,
 Admouitque Deo. Nec adhuc impuberis anni
 Deſierant, docta quateret cum publica voce
 Pulpita, ſubtili præſcos ratione Magiſtros
 Exuperare potens, & falſi ſolvere nodos,
 Inque ſuos 13 quævis raperet 13 ſubſellia laudes.
 Quid Svadam, Vir Clare, Tuam, fandique lepores,
 Labraque mirabor Clarium ſtillantia nectar
 Et Divi Platonis 14 apes, flumenque rotundum
 Eloquii? cui victricem Facundia palmam
 Ipſa dedit, præſcos Hellas tranſcripſit honores.
 15 Helluo ſermonum, manat Tibi ditior oris
 Copia, luxuriant diverſo ſchemate linguæ,
 Linguarumque nitor: tot voces diſcutis, orbis
 Quot pars prima ſonat: quoties vernacula promiſ,

Mella

11 h. c. Geographiæ ſtudere. 12 ſummitates, convexum. 13 h. c. totum Auditorium. 14 id est, ſvavis & melliflua oratio. Metaph, Meton. 15 vide p. 170. n. 64.

*Mella fluunt, pluiturque rosis, & spirat amomum
Sermo potens ipsas silicum diffringere fibras.*

*Clare Vir, Aonia coram inclamate Cathedra,
Excipe sudatæ condigna brabæa palæstræ,
Excipe 16 gemmantes, Charitum stipendia, flores:
Scande triumphalis culmen venerabile selle,
Edita mens, Proceresque inter spectanda Togatos
Jura superba tene, geniis donata Sophorum
Principibus: magnis animum nunc laudibus imple
Victor, & eternas capta tua premia lauros.*

*Jam novus intrabis Christi 17 delubra Sacerdos
18 Linigerumque chorum: jam Te Cælestia poscant,
Et sanctus Codex & primæ sensa loquela,
Ipsaque Relligio. 19 Sophie descende theatris:
Sat mundo terræque datum: desveta profanis
Una Palestinos mens sacrosancta Prophetas
Imbibat, & magnum destillet ab æthere 20 Numen.
Nunc juvat altisonum spirantes æthera voces,
Et Svadam stupuisse sacram, cum templa sereno
Fulmine percellit, solidèque instillat Olimpum:
Incipiunt 21 undare Tui subsellia rostri,
Fitque 22 seges sibi 22 sancta gravis, cum porta remugit
Insolitum, crepitantque fores: 23 asarota teruntur*

Z 2

Con-

16 instar gemmæ resplendentes. 17 Templâ. 18 vide p. 164. n. 24. 19 Phisophiæ. 20 Divina gratia & dotes. 21 stipari, condensari frequentia auditorum. 22 translata Ecclesia. 23 *Asarotum*, pavimentum picturæ arte elaboratum, sic dictum, quod verri non debeat: deducitur enim ab *a* priv. & *σαρω*, verro, purgo scopis. Statius: --- *varias ubi pacta per artes Gaudet humus, suberantque novis asarota figuris.*

Condensante pedum pulsu: petit æthera pulvis
 Excitus, 24 nubitque diem: 25 laquearia plangunt
 Concentu tremefacta gravi. sic cuncta stupendo
 Attrahis ore sacer, magnete potentior, Orpheu:
 Sic 26 bibula sitiunt melliti fluminis aures
 Nectareos latices, queis passim 27 Petra Salutis
 Bullit, & arentes ferale resuscitat agros.
 Pars Paradisiaci 28 libat promissa vireti
 Jubila, pars lacrimis commissa piacula deslet:
 Saxea corda hominum, ceu cera micantibus icta
 A radiis Phæbi, liquefunt. Cæca vetustas
 Splendida non adeò jactet Demosthenis arma,
 Non 29 Arpinatis purissima mella loquelæ.
 Eloquium mortale 30 fuit; Tu plenus Olimpo
 Æthereo sensu depromis verba profanum
 Excussura nefas: dicendi copia multis
 Mortifera est; Tua sed confringit spicula mortis,
 Et vitæ melioris iter vivacibus ornat
 Dogmatibus, digitoque polum velut indice monstrat.

Et jam tempus adest, quo debita denique victus
 Gaudia sperat Amor, lentasque incusat, & odit
 Impatiens 31 Erycina moras, cum sanguinis hæres
 Quæritur, & facilem promittant sidera Sponsam,
 Fulcra domûs, pia sollicitis solatia curis.

Hic

24 obnubit, tegit, abscondit. 25 vide p. 144. n. 47. 26 attentæ. 27 Allegorice Christus & ejus beneficia. 28 prægustat feil. in fide. 29 Ciceronis. vide pag. 131. n. 37. 30 subaudi illorum. 31 Venus, sic dicta ab Eryco Sicilia monte, in quo religiosissime colebatur. Ovid. Quid geminas Erycina meos sine fine dolores?

Hic qui melliflui nuper 32 torrente palati
 Devotas Superis aures & pectora traxit:
 Crimine commotus qui pulchras ivit in iras
 Securus secli, qui causa fultus & astris
 Fulminea Stygium tremefecit voce Tyrannum,
 Æstuat, & calidos tædarum ventilat ignes
 WALBINUS, celsamque coquunt incendia mentem:
 Dedicidit tumidum pondus, flumenque rotundum
 Eloqvii: non verba gravis, non fulmina vibrat,
 Atque os magna sonans, fluidæque tonitrua linguæ:
 Jam gravitas in amore jacet, jussique recusant
 Grandes ire soni: nescit facundia sese,
 Et fauci obluclatur amor, dum corda laceffit
 33 Invidiosa Venus, Domineque potentia formæ.
 Macte novis, Neonymphe, bonis, Tibi ducitur uxor
 34 Linigera de stirpe decens, dotisque superba
 Gaddia Nericias inter celeberrima Nymphas,
 Quæ thalamos pietate beat, virtutibus ornat,
 Quas illis impendis, opes: cui nubilis atas
 Fæminea plus sorte sapit, vultumque venustas
 Format, & insigni gravitas perfusa decoro.
 Utere flore Tuo: votis genialibus ether
 Annuit, & vite facili largissima donat
 Munera fæcundosque thoros, prolemque ministrat
 Non unam Lucina favens: jam nobile Fratrum

32 facundia oris. 33 invidiosa passivè, cui invidetur. Ovid. --- non invidio-
 sa nefandis, Non cupienda bonis regna Thoantis erant. 34 Sacerdotali, vide
 supra.

*Par micat, 35 Aurorâ quod primi veris in arctum
 Virtutis se trudet iter, vestigia servans
 Sponte verenda Patris, jam rara Virago stupenda
 Mentis in invidiam 36 naturæ prodit in auras
 Illa 36 triumphata, virtutum pectore cujus
 Credidimus coïsse choros, totamque recondi
 Pallada, fœmineumque decus, Charitumque lepores.
 Felices 37 gaudete Patres ter 37 gaudia tantis
 Pignoribus, Superûmque triplex cadat hostia ad aras:
 Tres Vobis tribuere Dii sua munera Flores,
 Tres fragili validas senio indulgere Columnas;
 Sed si forte duas, sic dispensantibus isdem
 Subtrahat atra manus, cinerique involvat acerbo
 38 Præses avara coli, ne formidate ruinam,
 Desperate minus; perstat vivacior Hæres
 Unus adhuc, qui subdet opem, jam munere cujus
 Vester vivit honos, famæque exceptus habenis
 Evolat, & serum meritis 39 enavigat ævum.*

*Invitum deprêndit Honos, & rapta per omnes
 Te vexit Fortuna gradus, laudumque Theatris
 Intulit, atque adytis Pietas admovit 40 Epoptam,
 Fixa triumphalem generoso in pectore sedem.*

Incli-

35 in prima ætate. 36 quippe quæ, cum elingvis esset, addidit de ingenio, quantum defuit naturæ. 37 gaudere gaudia, quemadmodum vivere vitam, currere cursum, somniare somnia dicitur. Terent. hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia. 38 Parca, Atropos. 39 Metaphoricè transit, superat. 40 Epoptæ dicebantur Mystæ, qui totum jam annum initiati, ad spectanda sacra admittuntur. à verbo ἐπόπτεσθαι, spectare, sive inspicere, unde & sacrorum inspectionem ἐποπτεῖαν Græci appellant.

*Inclita vix primam defert Bannera spartam
 Aula Tibi, & tanto fruitur gavisa Magistro,
 Cum sitit illustris sacrae miracula Brahæus
 Svadele, & cupidis Mystam complectitur ulnis,
 Doctrinamque stupet, cerebri fætasque superbos.
 Mox lituos clanxisse Deo, Martemque Tonantis
 Jussa verenda doces, Superùm cum buccina fortis
 Grande Satellitium Regis percellis, & ostri
 Fulgida victrici confundis signa stupore.
 Diffudit se fama Viri. jam Regia laudes
 Audit, & augustum feriunt præconia limen:
 Quem tot purpurei Proceres, tot templa, tot urbes,
 Oppida tot votis pridem communibus unum
 Certatim petiere sibi, Rex maximus orbis
 Parrhasi armatæ contactus fulmine lingue
 Maluit esse suum, rostrisque immisit 41 eburnis.
 Nec tamen aut placidos invisâ superbia mores
 Aut crescens subvertit honos: non gratia Regis
 Dissimilem facit esse sui; fastigia laudum
 Deprimit officiis, & quanto major habetur,
 Obsequiis studet esse minor: virtutibus ornat
 Munus adoratum, redimitque merendo favorem,
 Te, Vir Clare, Tuæ doctrine splendor & usus,
 Te castigatæ Charis acceptissima vitæ,
 Te morum tranquilla Venus, Te gratia cunctis
 Commendat, totamque potens Tibi 42 pignerat Aulam:
 Te sincera Fides, nec fallere docta Tiaras*

Possi-

Possidet, & nullo patitur 43 pallefcere fuco
 Mascula fimplicitas, tuti & fiducia veri.

Fare age, num talem tonuiffe, Gevalia, templis
 factes fortè tuis, licet arcto temporis usu
 Præpofitum venerata? nec hæc tibi munera debet
 Purpura; Depositem faltem tibi credidit ingens,
 Et voluit te poffe frui, fibi propria foli
 Comoda priva 44 putans: fatis eft audiffe docentem,
 Orantem ftupuiiffe fatis: mox grande reprofcit
 Pignus amicitie, & 45 vittato tempora Mitra
 Digna gravi Summas Adytum concedit habenas,
 Plaudenti reducem 46 gratans Chryfoftomon Aula.
 O! quantum imperiis fecreti Numinis addit
 Doctrina venerandus amor, quantumque rependit,
 Mufarum fortuna vicem, quas lucta corollas!
 Dic mihi, livor iners, non formidabile Magnis,
 Sed folitum gratumque malum, quis amicioꝝ 47 Oſtro
 Vixerit, anguſtæ quem plus coluere Tiaræ?
 Collige quicquid habent vel cuncti laudis, & unum
 Da fimilem, da cui vel plus indulferit ignis
 Atherei natura parens, vel fœnore largo
 Ediderit plures felix induſtria fructus.
 Quam facile in Noſtrum Reſtrix Clementia numen
 Prodiderit, vel ſole liquet manifeſtius inde.
 Impiger Arctoium proprius cum viſeret axem

CARO-

43 Horat. --- hic murus abeneus eſto: Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa. 44 pro reputans. 45 religato, circumdato, Helleniſmus, 46 gratulatus. 47 Regi. ſignum pro ſignato.

*CAROLUS, extrema miracula maxima Tornæ
 Rimaturus, 48 inoccidua qua lampade Titan
 Securus thalami vigilax custodia rarum
 Emicat, & pernox inservit cura 49 Sorori,
 Non piguit tantum 50 gurgustia parva Monarcham
 Visere, & in tenuem Nostri divertere Dockstam:
 Non ultrò augustum casula Diadema morari
 Paupere, quâ dorso famosus 51 Scula stupendo
 Imminet, & præceps caput inter sidera tensum
 Concutit immani terrenis vicina ruina.*

*Quid multis? aquilone redux jam Purpura dextram
 Porrigit, & tali gratantem voce salutat:*

*Singula dum 52 vigili momenta notavimus Arcti
 Lumine, Mysta, tuos & Nobis contigit ortus
 Cernere, ubi guttur tibi lacteus imbuit humor,
 Ruptaque erat tremulis primum vagitibus aura.*

*O! studium Regis rarum dignumque 53 tabella,
 O! fortunatum facili tam Numine Mystam.*

*Accrevit cum mole favor, studuitque clienti
 Perpes cura Ducis, nec in ipsa morte remissa.*

*Hinc comes augusto lateri indivulsus adheres,
 Ægrius & cupida, WALLINE, recedis ab Aula:
 Tu nova sollicitis das respiramina curis,*

A a

Tu

48 vide D. Bilbergii Refract. Solis inoccidui in Septentrion. oris, circa Solstit. æstivum 1695. 49 Lunæ, quæ suum lumen à sole mutuatur. 50 plur. pro sing. *Gurgustium*, à curculione vereme sic dictum, est genus habitationis angustum, Tugurium, casa. Apulej. Ergo brevitatem gurgustioli nostri ne spernas, peto sis contentus lare parvulo. 51 mons altissimus Angermanniæ. 52 attentis, curiosis oculis. 53 notatu.

*Tu toties dominam laxas in gaudia mentem:
 Tu, cum fata vocant, pernox, Tu perdius ægro
 54 Chiron invigilas 54 cœles: Tu posceris unus
 Luctantem cum morte animam Diademaque nutans
 Æterno fulsisse polo: Tu claudere fida,
 Inter tot Procerum planctus auleque stupores,
 Lumina jam moritura manu, Dominique labantis
 Excipere extremam pronis amplexibus auram.*

*Nec stetit heic regalis amor. quæ 55 cernere fato
 Non potuit properante Parens, felicior Heres
 Carolides, ille orbis Amor, stupor atque flagellum,
 Exequitur, tantumque novi moderamina sceptri
 Exorsus perfecit opus, cum vindice cœlo
 Tota triumphanti pallefceret Hafnia Achilli,
 Et debellatis tremere Selandia 56 transtris
 Audaci cessura Gotho. Caput erige Virtus,
 57 Erige, nec validos pigeat movisse lacertos,
 Quod speres, te præter habes, non unica merces
 Ipsa futura tui. justissimus ecce 58 Brabeutes
 Adstat ovans, summosque tibi decernit Honores
 Tiro Triumphator: dignum quem legerat unum*

Ex

54 cœlestis, facer medicus. *Chiron*, filius Saturni & Philyræ Oceani filia, fuit insignis ille Chirurgus, Medicus, Astrologus, Musicus & Palæstrita, qui Achillem in suo antro, quod erat in cavo Thessalix monte Pelio, educavit cum Patroelo, artesque Gymnasticas, Medicinam ac Musicam eos erudit. Ceterum *Chiron* dicitur à *Χείρ* propter artem Chirurgicam. *Philyrides* à matre Philyra. *Centaurus* à forma, quod eqvo insidens anteriores partes humanas, posteriores eqvinas habuisse à superstitionis vicinis creditus fuerit: Centauri enim, id est, Thessalix populi primi eqvos domare, & ex iis pugnare cœperunt. 55 statuere, sancire. Cic. *quocumque Senatus creverit, populus jesserit, tot sunt.* 56 Synecd. navibus, classe. propriè transtra dicuntur fori, seu scannina remigum. 57 Epizeuxis. 58 qui victori brabium, id est, præmium certaminis decernit.

Ex 59 adytis belli socium testemque laborum
 Per furias flammisque rapi pronumque per undas,
 Jam fessum duris clemens 60 emancipat armis,
 Grata laboratis decernens otia canis
 61 Halcyonumque dies. vel abhinc cape Regis amorem,
 Cum 62 Gothoburgenses generosa modestia 62 Fasces,
 Pro majore minus sumens modicumque superbo,
 Detrectat, subristit 63 Ebur 64 dulcedine ducto
 Usque adeò 64 natalis agri, votumque probavit:
 Cum Domini indultu, & sic dispensantibus astris,
 65 Parrhasiu 66 humentu 65 canentem prætulit Austro,
 67 Infulaque agnata 67 princeps in rupe resedit.

Maxime Vir, vix summa Tue fastigia laudis
 Lambimus, & timidus lassant præconia Musas.

A a 2

Seu

59 *Adytum* est locus secretior templi, ad quem nulli est aditus, nisi Sacerdoti. ab *a* priv. & *δύω* ingredior, quasi inaccessibile. Ovid. *Et sic est adytis Diva locuta suis.* 60 liberat, expedit, dimittit. 61 id est, tranquillitatem. *Halcyon*, quæ & *Alcedo* vocatur, avis maritima est medio ferè hyemis in littoribus ova pariens, quo tempore summa est in mari tranquillitas. Hinc poëtæ ansam fabulandi arripuerunt, Halcyonem Æoli filiam fuisse, qui in gratiam filix, dum illa in litore ova parit, & pullos educat, ventos inclusos servat. Dicta autem est Halcyon *παρὰ τὸ ἐν ἁλί κυεῖν*, ab eo quod in mari fœtus excludat. inde etiam dies ipsi *Halcyonides*, *Halcyonii*, *Halcyonia* & *Alcedonia* nominantur. Plaut. *tranquillum est, alcedonia sunt circa forum.* 62 Episcopatum Gothoburgensem. 63 Rex in folio eburno fedens. 64 Cic. *Chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium charitates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus?* Ovid. *Nescio qua natale solum dulcedine cunctos Ducit, & immemores non sinit esse sui.* 65 ningvidam, algidam Arcton. 66 pluvio, imbrico. vide p. 21. l. 2. 67 id est, summus Sacerdos. *Infula*, ab antiquo verbo infilare, h. e. velare, amicare, est fascia in modum Diadematis, à quo dependent vittæ ab utraque parte. En *Bishops hatt.* Virg. *Lancea dum nivea circumdatur infula vittæ.*

Seu Sacra consiliis, seu mente & voce *Lycaea
 Erigis, & decori Superam Delubra vetusto
 Restituisse paras solers, seu pilea donas
 Emeritis, seu sudatis das praemia curis
 Arbitr, & claris pretium decernis alumniis,
 Intemeratus ovas Vindex, & amaris ubique.
 Te Rectore ferunt per amœnos Phocidos agros
 Castalios undasse lacus, 69 risisse Sorores,
 Et melius doctis Sophien somnisse theatris:
 Te cœtus viguisse pios Antistite, & ipsum
 Tempa Deum timuisse magis, 70 Tripodasque locutos
 Clarius, & sacras fudisse Oracula Delphos.
 Quam Pietatis amans, Pacis studiosus & Æqui,
 Quam rigidus pulchri fueris Defensor Honesti,
 Non mihi si totos Helicon indulgeat amnes,
 Non, si Graja favis deliniat oscula 71 Pitbo,
 Expediam. 72 pictæ Tibi non 73 tentoria lingue
 Cognita vel fraudes, queis se nequissima vestit
 Mens hominum seclique lues: quem voce professus,
 Candorem quoque corde dabas. Si casta requiris,
 Pectora, si tranquillam animum, si sobria laudas
 Tempora, si genium taciturnum artisque silendi
 Callentem, affatu facilem, parcumque rigoris,
 Immemoremque ira, contemptoremque cavilla

Et

* Gymnasium & Scholas. Lycaea proprie dicta sunt sacra in Lycaeo Arcadiae
 monte in honorem Panos vel Fauni, vel Jovis Lycæi fieri solita. Virg. ---
 gelida monstrat sub rupe Lupercal Parrhasio dictum Panos de more Lycæi.
 ☉ id est, studia floruisse. 70 vide p. 4. n. 69. 71 facundia, vide supra. 72 fictæ,
 falsiloquæ. 73 translate levitas, inconstantia.

Et Satyræ mordacis, iners qua sæpe Novator
 Perstrepit, & placidam satagit turbasse Senectam;
 Felicem invidiæ victorem: in publica pronum
 Commoda, munificum miseris, fera fata levantem
 Exilii, profugosque lares, atque agmen anbelum:
 Turpis avaritiæ studium 74 sordesque perosum
 Luxuriamque simul: Virtutis castra secutum
 Affectumque bono, solus WALLINUS in uno
 Pectore tot contraxit opes, tot condidit arca
 Thesaurus decorum, tot dotibus emicat unus.
 Hæc manus è viduis proscripfit frigora lectis,
 Hæc nova 75 Flaminiis suffecit fulcra caducis,
 Fuffit & 76 atatem melius sperare 76 minorem.
 Cernite virtutum 77 Colophonem, cernite morum
 Exemplar 78 Punctumque, viri. sparguntur in omnes,
 Hoc in mixta fluunt laudum certamina Centro.

Quid referam triplici munitum robore pectus
 Præfulis, & solido fibras adamante ligatas,
 Indomitumque animum, tunc cum feralis ab Euro
 79 Turbo ruit, passim Norlandis rupibus instat
 Improvisa lues, cunctoque à colle timetur
 Prædo 80 Borysthenides: non uno vulnere mæror
 Desevit, Mars Morsque ferox sua spicula vibrant,

A a 3

Alter-

74 vide p. 154. n. 52. 75 *Flaminia*, Flaminis, id est, Sacerdotis domus. vide
 p. 170. n. 63. 76 pupillos. 77 Complementum. v. p. 115. n. 48. 78 *Punctum* pro cal-
 culo & suffragio sumitur, quoniam veteres suffragia non scribebant, sed puncto
 notabant, Horat. *Omne vult punctum qui miscuit utile dulci*. id est, solus suf-
 fragia iudicium tulit, qui utile & dulce scripsit, quoniam simul prodesset & dele-
 sceret, 79 tralatè periculum, 80 Moscus.

*Alternantque neces: 81 serpunt incendia latè,
 Flebilis & totam pene Hernösandia Trojam
 Exprimit, & tristes pars auget opima rapinas:
 Cum spolium patet omne penu, 83 Pelopesque 83 Midasque
 Vis nudat vesana graves, araria ditis
 Turgida nummisfuga & 83 Pluti deglutit hirudo,
 86 Ebisque scopis purgantur scrinia 87 Crassi
 88 Attalicique sinis: fædas inhumata 89 Creusa
 Indignata pyras, nequicquam flagitat urnam,
 Diraque crudeli geminat convitia 90 Vestæ,
 Indecoresque rogos securis exprobrat astris.
 O! quoties diræ sacra circum tempora mortes
 Stridebant, tunc cum ferro 91 stipatus & igne
 Delitet in cæno Præsul, cannaque palustri
 Abdit grande caput, vel sic potuisse latere*

Dulce

81 sparguntur, dilatantur. Metaph. Cic. *serpet hoc malum, mihi credite, longius quam putatis.* 82 divites per Antonomasiam. Pelops Tantali filius, à quo Peloponnesus dicta est. In pueritia à patre maclatus, ejusque humerus à Cerere devoratus est, pro quo in vitam à Jove revocatus eburneum retulit. Hippodamiæ Ocnomai Pifarum & Elidis Regis filia nuptias cursu & fraude Myrtili aurigæ meruit. Virg. *Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno.* 83 Midas, Gordii bubulci filius & Rex Phrygum, qui omnes Reges pecuniæ abundantia antecessit, vide Ovid. 2. Metam. 84 divitiarum. 85 translatae gurgis & vorago. proprie Sangvisfuga dicta, quod carni hæreat. Horat. *Non missura cutem nisi plena crno-
 ris hirudo.* 86 id est, prædantibus Russis & Cosaccis. Metaph. 87 Antonomasia, vide p. 72. n. 94. 88 h. e. divitum loculi. vide p. 107. n. 36. 89 per Antonomasiam desideratissima Nostri Conjug *Ingridis Gadd*, quæ flamma ac incendiis hostilibus circumventa justis exequiarum defraudabatur. *Creusa* Priami filia, quam in excidio Trojano ab Ænea marito, qui fugiens patrem Anchisen humeris gestabat, filiolumque Alcanium manu ducebat, perditam fuisse in itinere, dum viæ notas excessisset, tradit Maro lib. 2. Æneid. 90 Terræ, quod se, ut piam matrem decuisset, gremio suo excipere destrectaverit, 91 cinctus, circumseptus,

Dulce putans, fœdas gelidus cum 92 Stigza paludes
 Suggestit ardori faucis, mensaque misella
 93 Torpet orexis iners, ferale ministrans
 Præcibus causam morbis fatoque 94 repenti.
 O! rerum fatigue vices, quis carmine tantos
 Exæquet justo casus, molemque malorum?
 Ast Heros quamvis aliquà succumbat amanti,
 95 Purpuret atque genas utrinque 96 uxorius imber,
 Suppeditentque lares memori suspiria sparsi,
 Vel quidquid Scythicæ potuerunt 97 lambere flamma:
 Stat tamen, egregio non fracti more Catonis,
 Arduus, & sortis tot iniquæ durat in ictus,
 Nescius 98 insano toties cessisse dolori:
 Non aliter rapidis saxa 99 Acroceraunia in undis,
 Seu tumidum boreas Aquilonibus incitet equor,
 Seu Cauri sua flabra vibrent, cælumque salumque
 Misceat Æolius nauta pallente tumultus,

Litto-

92 Pagus Norlandiæ, cunis b. m. Archiepiscopi Upsaliensis D. Stigzelii clarus.
 93 id est, sedatur appetitus tenuiore & vulgari cibo. Auctor pag. 80. n. 73. ---
 & paupere mensa Placatur non docta fames. Orexis, esuritus, appetitus, ab
 ὀρέγομαι appeto. Juvenal. --- de quo sextarius alter Ducitur ante cibum ra-
 bidam facturum orexim. 94 subito, inexpectato. Cic. quanquam hostium repens
 adventus magis aliquando conturbat, quam expectatus. 95 activè pro purpu-
 reo colore inficiat genas. Columella: Tum quæ pallet humi, quæ frondens par-
 purat auro, Ponatur viola nimium rosa plena pudoris. 96 lacrimæ dilectissi-
 mæ Conjugis ergo profusæ. Ceterum uxorius dicitur, qui nimis uxori infervit.
 Virg. --- tu nunc Carthaginis alta Fundamenta locas, pulchramque uxorius ur-
 bem Extruis. 97 exurere. Auctor. pag. 11. n. 88. --- cum Pergama Doricus ignis
 Lamberet, & magnum raptarent Hectora currus. 98 Meton. pro insanos fa-
 ciente. 99 vide p. 9. n. 54.

*Littora seu 1 lambant Zephyri, seu fulmina saltent
Horrida, fortunam vultu patiuntur eodem.*

*Ergò ubi terrarum magnos insurgere motus,
Criminaque indomiti nimis increbescere secli
Indignans vidit Præsul, perrumpite jam nunc
Nostra fatigata diurni 2 staminis, inquit,
Fila Deæ, satis est, sat in his sudavimus antris:
Lampada contineant alii, fideque laborent
Excubuisse gregi, jam me vocat illa Cathedra
Quæ divæ resident 3 Mitre, qua parte coruscant
Thejologum grandes animæ jurataque cælo
Nomina, Stigzelii, Normanni, Benzeliique,
Gezeliique Patres, credendaque gaudia captant:
Vixi, nec patriam, spero, vixisse pigebit.
Dixit, & ut 4 fractus vires præsensit adesse
Atropon armatam, * præsentî Numine plenus
Impavidum forti caput objectavit in ictum
Pectore, nec querulis, ut 5 Vespasianus, ocellis
Detrectavit onus: quin visâ animosior illa
Expectata diu, non formidata recepit
Spicula, & Auctori, misso in compendia morbo,
Redditus æternas scandit venerabilis arces.
Exerit alta caput Pietas, & iudice cælo
Jam 6 pretium sortita decens sublimis adorat*

Lu-

1 leviter tangant, afflent. 2 id est, vita. v. p. 6. n. 14. 3 Doctores. signum pro signato. 4 Hellenism. pro fractis viribus. * propitio, favente. 5 Titus puta Vespasianus Flavii filius & frater Domitiani, Imperator clarissimus, populoque Romano aded charus, ut vulgo *Orbis Amor* diceretur & *Delicie humani generis*. 6 pretium h. l. pro mercede, sive præmio sumitur. Virg. *Et palma pretium victoribus* &c. Ovid. *Ipse tulit pretium jam nunc certaminis huius.*

*Lumen inaccessum modò Divinumque Jhovæ
 Concilium, 7 Trinæ Monadisque arcana recenset.
 Mens innixa Deo, quàm Te pramissimus ægrè
 Funeribus nostris! quàm Te Norlandia nollet
 Cernere lethifero ponentem membra 8 grabato!
 Qui Boreæ decus & nunquam moritura fuisti
 Gloria: qui seclī Exemplum: qui crimine purus,
 Delicium populi: Sidus peramabile Musis:
 Assertor Phæbi: fortunæ in fulmine 9 rectus:
 Patronus Themidos: supra omnia Numine plenus.
 Tu rides humana quidem conviva Deorum
 Sordibus exemptus terrarum, animumque beata
 Lustrantem secreta procul terrestribus umbris
 Avertis, placidaque 10 superbus pace quiescis;
 At nobis immane inflictum * vulnus, & omni,
 Quæ cultu ingenii potis est mitescere, genti.
 Hæc Tibi mors Tua vita fuit: Tibi splendida palmam
 Palmarum Lux illa dedit: cum fænore lethum
 Advenit, & larga pensat mercede labores;
 Nos autem scopuli, nos 11 Acroceraunia in horas*

B b

12 Sa-

7 Sacro Sanctæ Trinitatis. 8 lecto. species pro genere. propriè lectus exiguus, in quo meridiari solent. dictus quasi *carabatus*, quòd in eo capite recumbamus: *νάρα* enim caput, *βάσιν* pervium Græci dicunt. Virg. *Membra levat sensim vili demissa grabato.* 9 pro erectus, fortis, constans. 10 gloriosus. vide p. 137. **. * tratatè dolor, desiderium. 11 id est, calamitosus ac ærumnosus hic mundus, translatè. *Acroceraunia* propriè montes editissimi in fronte Epiri, Jonium mare ab Adriatico dirimentes, ita dicti, quòd propter stupendam altitudinem vertices habeant fulminibus maximè obnoxios: *ἀκρον* enim verticem significat, & *κραυνὸς* fulmen. Horat. *Quem mortis timuit gradum, Qui siccis oculis monstra natantia, Quis vidit turgidum mare, Et infames scopulos Acroceraunia?*

12 *Sacrum inter saxumque tenent: latus omne tumultu
Funeribusque tremit diris: nos taxus inumbrat
Feralisque dies, luctusque laborque fatigat,
Et per tot 13 Syrtes fortunæ ventilat 14 æstus.*

*Quis decet exequias ritus? quo thure litandum
Manibus, & quinam tumulentur sanctius umbræ?
Non illud violæ marmor, non discolor ornet
15 Pestani fætura soli, nec 16 cinnama ruri
Lecta peregrino, 17 casia neque mollis aristæ,
Aut quæ 18 Panchæis sudant opobalsama ramis.
Conveniunt isthæc animis imbellibus, aut quos
Effætos invisa quies, & inertia vita
Fixit humi; tales sibi Sardanapalus honores
Appetat, & 19 Phrygius procus, atque 20 natator Abydi,
21 Semivirumque chorus. nunc alter Jojada Nobis*

Condi-

12 *Inter sacrum saxumque stare*, est in summo periculo vitæ versari. Proverbium hoc sumtum à victimis, nempe porcis fœminis, quæ in fœderibus figendis saxo à sacerdote feriebantur. Plautus: *Nunc ego inter sacrum saxumque sto, nec quid faciam, scio.* 13 *translatè discrimina.* vide p. 76. n. 37. 14 *tempestates, turbines.* Cic. *undique omnes venti erumpunt, sevi existunt turbines, ferocet æstus pelagus.* 15 vide p. 99. n. 21. 16 *Cinnamum* seu *Cinnamomum*, frutex sive arbutula odorifera nascens apud Gebanitas in finibus Troglodytarum. Ovid. *Cinnama tum primum captivaque thura dedisti.* 17 *Casia*, herba suavissimi odoris. Virg. *Tum casiam, atque alis intexens suavibus herbis.* 18 v. p. 92. n. 94. 19 *Paris*, Priami filius qui Helenam Menelai uxorem rapuit. 20 *Ieander*, juvenis *Abydenus*, id est, in *Abydo* urbe Helleponti, qui aliquoties tranare solitus per Hellepontum ad Hero amicam suam, quæ in oppositi littoris oppido *Sesto* habitabat, tandem vi ventorum & æstu fluctuum victus demersus est. Hodie *Sestus* & *Abydus* sunt arces præmunitæ Turcarum, quæ vulgo *les Dardanelles* vocantur. 21 id est, mollium, effœminatorum, spadonum. Virg. *Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu,*

Conditur: ingenti defunctum Abiathara tumbæ
 Inferimus, nostrumque. 22 pio torrente madentes
 Abluimus Mitram: memorique in corde 23 Colossum
 Erigimus Divo, quæ secla refellet & ignes,
 In natos natorum abiens, & posthuma secla.
 Pessum ierint lateres: pretium subduxerit ævum
 Marmoribus: nullo sapientia Præsulis ævo
 Squalescet tenebris, formidabitque sepulcrum.
 Plangite funesti confusa voce Triones:
 Plangite Norlandi: non vilis fila 24 Menalca
 25 Mordaces secuere 25 Deæ; sed furva cupressus
 Excubat ante fores vestri Patris: hoc feretrum
 Commune est templisque Scholisque: hoc spiritus ore
 Publicus exhibat; multos 26 Libitina cruentat
 Unius excessu, multos involvit egenos.
 Sic obitus: Vir sancte, Tui jam singula tangunt
 Pectora, sic jactura gravis memoraberis omni
 Ætati, & mæstis longum plorabere Delphis.

Sed corpus tantum 27 rosuræ fœnora 27 genti
 Addixit Præsul; Fama illustrissima pergit,
 Quæ Zephyrus Boreasque ruunt, quæ turbidus Auster
 Sibilat, & primos Auroræ fertur in orbes:
 Vivet inabruptos Parcis invisus in annos

B b 2

WAL-

22 piis lacrimis. 23 Colossus dicebatur statua immodicæ proceritatis,
 qvialis in insula Rhodo in honorem Solis facta fuit à Charete Lysippi disci-
 pulo ex ære 70 cubitos alta. Unde etiam inter septem mundi miracula nume-
 ratur. Ab hac Colosso postea Rhodii appellati sunt Colossenses, ad quos Apostolus
 Epistolam scripsit. 24 Agricola sive pastoris. Antonomasia. 25 Parca. 26 Mors,
 vide p. 85. n. 23. 27 id est, vermibus escam.

*WALLINUS, nomenque suum per secula ducet:
 Canentes dum bruma nives, dum silva juventam
 Integrat, & nitidis expecta novalia plantis
 Attollunt rediviva caput, dum lilia valles
 Condecorant, spineta rose: dum 28 noctis ephesos
 28 Nictantes suos 29 error agit, dum flamma 30 triumphat
 Concussum spatiosa polum: dum littora Balthen
 Castigant: stat inoccidua dum Lampade Botnis.*

28 h. c. --- tremulas vibrantes sidera flammæ. Translatum ab oculis, quibus signum datur altero vel utroque clauso. Plaut. *nec illa ulli homini nutet, nictet, annuat.* Idem: *non hercle nuto, neque nicto tibi.* 29 cursus, motus. 30 id est, dum fulmen è collis nubibus de concusso tonitribus cælo triumphum agit. Gellius: *triumphavit triumphos novem cum imperatoribus.*



BONUS PASTOR,

SIVE

LAUDATIO FUNEBRIS

VIRI

ADMODUM REVERENDI *atque* PRÆCLARISSIMI,
 DOMINI

MAG. LAURENTII RAHM,

Antehac Templi Cathedralis, quod Strengnesi est,

ARCHI-PRÆPOSITI & PASTORIS longè Gravis-
 viffimi Meritiffimique;

Nec non

Consist. Eccles. ibidem PRO-PRÆSIDIS Celeberrimi.

Nat. A:o 1646. d. 24. Martii. Den. 1729, d. 21. Apr. Sep. d. 11. Sept. c. a.

Sic



*Ic vitam vixisse juvat, cum perpetis instar
 Lampadis omnis agit: passim cum clarior orbi
 Apparet, radiis per nubila & devia late
 Errantem duxisse potens, terræque & nepotes
 Advertisse polo pronos: extentaque tandem
 Ultra se meritis, indigna & ergastula, & punctum
 Hoc breve despectans & Herboos occupat & orbes:
 Vindex ipsa sui tumulos & fata triumphat
 Altior, & nullo definit limite Famam.
 Hoc Petris Paulisque datum: laus ista Johannes
 Tollit, & æternis intexit nomina & peplis
 Sancta secutorum Christi vestigia Patrum.
 Ite & supina anima, & ventres pigri, ite & Simones: Ite*

1 *Devia* substantivè, id est, loca à recta via remota. 2 *nepotes* pro filiis, h. e. mentes hominum in res mundanas intentas & affixas. *Nepotes* & aliquando dicuntur homines inquam, dissoluti & decoctores. Cic. *quis ganeo, quis nepos, quis adulter, quis perditus inveniri potest, qui cum Catilina non familiarissimè vixisse videatur.* 3 *Ergastulum*, taberna vel officina, ubi lapides metallaque foediuntur, vel aliud quicquid operis à vincis servis fit. sic dictum ab ἐργάζομαι, operor. Liv. *ductum se à creditore non in servitium, sed in ergastulum & carnificinam esse.* 4 Seneca: *punctum, & adhuc puncto minus, mundi quod incolimus.* 5 puta Viam Lacteam, id est, cælum. vide p. 104. n. 6. 6 h. e. immortalitati consecrat. *Peplum*, sindon, sive palla prætenuis mulierum, quod Thœne Anterioris uxor Palladi dicavit. In hoc depingebantur ex more apud Athenienses, qui strenuè se in bello gessissent. Virg. *Interea ad templum non aqua Palladis ibant Crinibus Iliades passis peplumque ferebant.* 7 negligentis, securæ. 8 ventri, i. e. gulæ studentes. Suntum adagium à Cretensium moribus, quos plurimis convitiis incessit antiquitas. Unde & Apostolus versu Epimenidis in eodem usus: *Κρέσσεις ἀνὴρ Ψεύσαι, κακὰ ἄνηθια, γαστέρες ἀργαί.* i. e. *Cres semper mendax, mala bestia, & belluo deses.* Tit. 1. v. 12. 9 *Simones*, per Antoniasiam Sarcicoli, qui muneralis ambitus sunt, & studiosæ voluntatis emendi & vendendi spiritualia. se dicti à *Simone* illo Mago, qui à Petro Spiritus Sancti gratiam mercari volebat. Actor. cap. 8. v. 10. 19 &c. hinc vitio nomen inditum.

*Ite profana cohors & sacri opprobria cætus,
 Nulla quibus grandi fulta est fiducia Christo,
 Nec satagit credenda Fides, fruiturque futuris:
 Qveis venit ex pretio Pietas: qveis omnis in una
 Spes residet 10 bulga, vitam fotura dolendam.
 Cum ferus interea, duce dormitante, 11 Lycaon
 Exilit infidiis, securaque pascua cernens
 Palantes infestat oves: has lancinat ungue,
 Illas triste siti gaudet periisse negatis
 Fontibus, aut dira nullo curante cicuta.
 Ite, inquam, conducta manus: puta longius hic vos
 Dedignatur honos, hæc vos non gloria tangit,
 Enthea quam propriam Virtus sibi vindicat una,
 Et cæli non segnis amor. Quid proderit alsi
 Ostentasse 12 nives capitis, 13 vaga symbola, canas,
 Virtutis? Svadam Tullî 14 crepitasse? quid artes?
 Quid ve grande 15 Sophos? cum fex ingrata senectæ
 Plus noctis, quam lucis, olet: cum tinnula buccæ
 Æra graves resonant, levibus ludibria ventis.
 Cum mores, cum vita labat, cum regula noxam*

Ipsa

10 facculo, crumena. Lucil. *Cum bulga cænat, dormit, lavat, omnis in una
 Spes hominis bulga: hac devincta est cetera vita.* 11 lupus, in quem Lycaon
 Rex Arcadiæ ob crudelitatem, & contemptum Deorum à Jove mutatus est. vde Ovid.
 Metam. Allegoricè Diabolus. 12 tralatè caniticum. 13 incerta, dubia signa, tractum à
 simbolo, signo bellico, quod tesseram Latini vocant, quo focii ab hostibus & ex-
 ploratoribus dignoscuntur. 14 ostentare. 15 Grande Sophos neutralita, id est,
 grandem illam, & adulatoriam vocem tot hominum clamantium Sophos. Mos enim
 fuit Græcorum, dum scripta alicujus vel legerint, vel audierint, assertando dicere
 Σεφός, h. e. sapiens, doctus. Martial. *Audieris quum grande Sophos, dum
 basia captas, Ibis ab excusso missus in astra sagæ.* Idem: *Qvòd tam grande
 Sophos clamec tibi turba rogata &c.*

Ipsa sapit, prenduntque suum vitanda magistrum:
Cum vos uda trahit strepero 16 vindemia thyrso:
Cum mentes in corde 17 furens emasculat 17 estus:
Turbida cum 18 nigra fervent præcordia bile.
Denique quicquid id est, dominum quo noxia ductrix
*Proditione caro fallaci impellit * anbelum.*
 19 *Discite, 20 curvæ animæ, tempus, discernite vitam:*
 21 *Vivere commune est, sed non commune mereri.*

22 *Efferrimus claræ Sobolem Pietatis ab omni*
Compositam 23 puncto, quæ Virtus 24 paret, & illa
Flebilis emeritum quæ bajulat 25 urna cadaver,
Ætatis 26 Colophone suæ Speculoque 27 tumescit.
Heic licet egregiam Pastoris discere vitam
Exemplarque boni, Superùmque 28 icona Ministri
RAHMIUS ostendet vivam, cui vita peracta est
Grata bonis, pergrata Deo, laudumque cucurrit
Pulchrè tota ferax, titulisque insignis honorum:

Cui

16 per periphrasin ebrietas, gula. 17 libido, Venus illicita. Horat. *Quam tibi flagrans amor & libido, Quæ solet matres furiare equorum, Sæviet circa jecur ulcerosum.* 18 efficiens pro effectu. irâ, simultate, litigiis. * i. e. ardentem. v. p. 47. n. 28. 19 perpendite, observate. 20 h. e. in terram pronæ, mundo & ventri additæ brutorum instar. Ovid. *Fronaque quum spectent animalia cætera terram, Os homini sublime dedit.* 21 versus Prudentii. 22 *Efferrimus* cadaver dicitur, cum celebratur funus, vel dum sepelitur, quasi extra urbem ferri. Si quidem apud veteres solebant extra urbem sepeliri, nisi qui gessissent magistratus: honorationes tamen circa vias. Unde frequenter Epitaphia ad viatores diriguntur. 23 id est, communi bonorum calculo & suffragio consummatissimam. 24 pro apparet. Virg. *Cui pecudum fibra, cæli cui sidera parent,* id est, à quo fibræ & sidera cernuntur, & peritissimè agnoscuntur. 25 feretrum, continens pro contento. Ceterum *urna* vas erat plerumque figulinum, in quo crematorum cadaverum cineres & ossa servabantur. 26 complementum, vide pag. 115. n. 42. 27 superbit. 28 figuram, effigiem.

Cui 29 *tranquilla, mali 30 tortoris nescia morsus,*
 29 *Mens epulatur ovans, in seque perenne 31 quiescit,*
Curarumque orbis vani 32 componitur exors,
Uni intenta Deo caræque per omnia Sparta,
Se satagens cælo totamque impendere ovili.
Scilicet id Nostro proprium, nec castius unquam
Res operata focus Superùm: non arguit ætas
Ulla vacillantem, manet inconcussus, & haustum
Numinis intrantemque Deum fervore receptat
Continuo, totisque hærent præcepta medullis
Cælica, nulla rotat sacram vertigo Senectam:
Qualis in excelso Libani viret ardua Cedrus
Regnatrice coma, non illam insana fatigant
Prælia 33, Caurorum, licet heic dijecta recumbat
Fraxinus, ornus ibi, 34 Dryadumque vetustior ævo
Quercus hiet: non illa Notis, non attremis Euris,
Immoto tremulam despectat vertice silvam.

Hæc est Canities, rictus quæ lusit hiantes
Fugibus excubiis, tristesque 35 Lycaonis ausus

Nixa

29 id est, conscientia quieta, pacata, sibi met ipsi reconciliata. tractum ab ære & mari, quando nulla exagitantur tempestate. Horat. --- *hic murus abeneus esto: Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.* Cic. *nulla re tam letari soleo, quam officiorum meorum conscientia.* Idem: *conscientia bene acta vita, multorumque benefactorum recordatio jucundissima est.* 30 puta malæ conscientia. Cic. *suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: sua mala cogitationes, conscientiaque animi terrent.* Carnifices habet occultos conscientia mordens. --- quos diri conscia facti *Mens habet attonitos, & surdo verberare cadit.* 31 pro acquiescit. 32 reficitur, recreatur. 33 Synecd. ventorum. 34 *Dryades, vel Hamadryades, à δρῦς quercus, Nymphæ silvarum & arborum, quæ cum iis unâ nasci & occidere dicuntur: ejusmodi describit Ovid. lib. 8. Metam. quercu anosa ab Erisichthone succisa interentam.* 35 vide suprâ.

Nixa pedo retudit, 36 genuinum fregit & atrum.
Ista pios inter tonuit Facundia cætus
Egregia cum fruge potens: non perculit illam
Improbitas seclique furor, non 37 aura tumescens,
Non odium inxvsi 38 lymphata pedissequa veri
Os obturavit grave: permutata fuere
Pectora peccantum, castigatique furores
39 Subsidiere malis, & tanto pronius omnes
Censuram admittunt, monitis magè cernere quanto est
Responsare suis laudandi exempla Magistri.
40 Velleris aurati scabiem, commune venenum
Sacricolis, sædamque luem devovit Averno
Sorte sua contentus agens: cum dextera caras
Parca totondit oves, sed non 41 deglubit easdem:
Non lac 42 subrumis modicum subducitur agnis,
Non succus pecori, 43 vacua aut mulctralia plorant.

C c

His

36 vide p. 166. n. 31. 37 id est, gratia potentum. 38 *Lymphata*, furiosa, mente commota. Nam creditum est ab antiquis, qui in fonte speciem quandam, i. e. imaginem Nymphæ vidisset, furore corripit, quos Græci Νυμφολήπτες, Latini Lymphaticos vocant. Virg. *Immensam sine more fuit lymphata per urbem, Valer. Rupta quies: Deus ancipitem lymphaverat urbem.* id est, turbaverat, in bellī furorem verterat. 39 quiescunt. translatum à fluctibus: Virg. *Subsidunt unda, tumidumque sub axe tonanti Sternitur æquor aquis.* 40 translata avaritiam. allusum ad aurum illud vellus, quod Phryxus in Colchidem asportavit; Jason verò cum Argonautis artibus Medæ retulit, vide pag. 108. n. 50. Quoniam verò scabiem comitatur pruritus, pruritus autem scabendi cupiditas, & ex fricatione quædam voluptas: factum est, ut *scabies* pro voluptatis illecebris accipiatur. Cic. *nos voluptatis blanditiis corrupti, que naturâ bona sunt, quia dulcedine hac & scabie careant, non cernimus satis.* 41 deglubere, quasi pellem detrahere, unde proverbiali sententia dici solet (cujus author Tiberius) *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere.* 42 lactentibus, vide p. 90. l. 7.º. 43 h. e. agni evacuatis mulctralibus queruntur. Allegoria.

His latuit Pax exuvius, litosque perosum
 Cor. procul ira, procul cessit malefvada similtas,
 Et vindicta levis. Fastus calcatur inanis,
 44 Ambitus alget iners, mordet sua vincula demens
 Livor dira tuens. Castis sub moribus insons
 Emicuit pietas & blanda plurima vite
 Gratia. Fucate 45 poppysmata subdola lingue
 Oderat, & solum potuit sincera placere
 Simplicitas. Socios inter venerabilis ibat
 Cunctorum communis amor, sine nube minori
 Apparens, comisque pari, cultorque prioris.
 Et 46 Pitbo, sed mitis, erat, sedataque multum
 Vis animi, & tetricas sermo qui duceret aures.

Cum series Pietatis amat non cedere curis,
 Dum labor aeterno pulchre redit improbus orbe,
 Officium pariter calamo paratur & aris,
 Et geminis magna satagit ratione probari.
 Diffudit se fama Senis, plaudentibus alis
 47 Anser ut in cerebro tinctus sua tegmina Vati
 Discutit, atque minax Jeremias nube levatur.
 Seu foris advescit Fame, cum fervidus olim
 Differit altisoni veneranda Oracula Moyfis:
 Seu patriis agitur docta Ignorantia rostris:
 48 Concio seu totum vocat in certamina Christum,
 Clarus ubique cluit Vindex & puncta meretur.

At

44 vide p. 96. n. 21. 45 adulationes. v. p. 157. l. 20. 46 Svada, facundia. v. p. 161. n. 5. 47 id est, cum laudatissimum luculentissimumque Commemratium in Jeremiam docto calamo exaratum divulgasset. 48 Synodus.

At quid Musa stupes? quis te sacer imbuat horror?
 49 Desinis & mediam malè gnavo pectine telam?
 Fallor, an humanus 50 jam Delphin Ariona mersum
 Bajulat, aut 51 profugum balæna in littore 51 Vatem
 Exonerat, monstrumque parit memorabile 52 pistrinx.
 Credite posteritas, & Nostri vindice cælo
 53 Cymothöen favisse malis, Nereïdas omnes
 Et conjuratis ora uda levasse lacertis,
 Cum quamvis senio gravior (54 Natura quid oncas?)
 Corticis instar agens 55 decima 56 immerfabilis unda
 Eminent, & resonis bene naufragus adnatat oris,
 Inversa famulo 57 limum sorbente carina,
 I, Pietas, gustaque tuos certissima fructus,
 Et profecturi gaude mercede laboris.

Quid memorem segnes, condensa examina, morbos?
 Fata Patris quid summa querar? quid denique agonem?
 Nota 58 cataphractum cinxit Patientia Athletam,

C c 2

Et

49 id est, medium sermonem abruptis. Metaph. Cic. libenter hercèlè artem
 desinerem, tecumque & cum similibus nostri viverem. Apulej. desine scelus,
 Desinere & aliquandò Genitivo jungitur Græcorum more. Horat. --- desine mollium
 tandem querelarum. 50 vide pag. 124. n. 49. 51 puta Prophetam Jonam,
 52 vide pag. 123. n. 46. 53 vide pag. 123. n. 40. 54 sensus: non est quod objicias
 αὐτοσφῆ Physice, casum hunc causis naturalibus deberi, quin potius summam Nu-
 minis potentiam hiè reverere & stupe, nè præmium insulsi judicii & stolidæ sen-
 tentiæ Midæ instar auriculas asini feras. Oncare enim asinorum est. 55 decima
 pro maxima. vide pag. 174. n. 88. 56 non immersus. Horatius de Ulyssè: Dum sibi,
 dum sociis reditum parat, aspera multa Pertulit adversis rerum immerfabilis undis,
 57 id est, fundum petente, submerso. 58 undique armatum. à κατὰφράκτο, obsce-
 10, munio. cataphracti eqvites, id est, ferro muniti.



Et 59 triplici solidum pectus præmunit 59 ære:

Sustinuit sedatus onus: non murmure fatum

Excepit querulo: non declinavit ab ictu

Hostis forte caput, quin Parcæ immitibus ausis

Letior occurrens, ut amans redamantibus ulnis,

Spiritum anhelantem lucta pacalibus astris

Reddidit, elusa pulchrè de morte triumphans.

Sic vixisse fuit decori. Date thura Sabæi,

Solvite justa Patri, Mystæ, 60 componite 61 Eoptam:

Ite parentatum doctæ Libethrides, ite,

Pulpitaque altisonis dissulent tota cothurnis.

Sic Tua, RAHMIADES, se vastum Nomina in orbem

Diffundant meritis, & seros Fama nepotes

Excitet exemplo: sic Vesta quietior ossa

Molle tegat, 62 vernentque rogi: Sic æmula ponat

63 Thesbitæ emerito dignus vestigia Elifeus!

59 triplici ære pectus munitum habere, Poëtis familiare est, pro esse animo robusto, & pectore ferreo, nec ullius discriminis metui obnoxio. Horatius; *Illi robur & æs triplex Circa pectus erat, qui fragilem truci Commisit pelagoratem Primus.* 60 vide supra. 61 Summum Sacerdotem. vide p. 182. n. 40. 62 verna temperie pullulent, vernis floribus halent. 63 Æliæ Prophetæ.

ELEGIDION IN PIOS MANES

Elegiacorum in patria, dum viveret, facilè Principis,

VIRI Pietate, Doctrina, Annis Meritisque

Admodum Reverendi atque Præclarissimi DOMINI

LAURENTII FORSSELLII,

In Reg. olim Gymn. Gothob. Poës. & Hist. LECTORIS Ord. & Con-

sist. Eccl. ASSESSORIS Celeberrimi; Nec non postea PASTORIS & PRÆ-

POSITI in Ålingsåhs longè Gravissimi.

Nat. d. 12. Octob. 1653. Den. d. 2. Jan. 1729. Sep. d. 5. Feb. e. a.



*Ost seculi plausus & 1 didita nomina Fame,
 Nomina vel laudes invidiamque supra:
 Post 2 exantlatos tot mundi flebilis 2 æstus,
 Totque parum fætos commoditate dies,
 Tandem indignantis Victor longæve senectæ
 Corruis, emeritum flectere iusse caput:
 Jamque fatigatas absolvis stamine Parcas,
 Et toties fessa pensa voluta colo:
 Sic fastiditis 3 pangens divortia terris
 Ambrosias cæli carpis anhele vias:
 Sic abis hospes ovans, nec quæ Te vota retardent,
 Respicias, in patria lumina 4 fixe domo,
 Neve piget tantam docto 5 Pharon & decus orbi,
 Vatribus heu! tantam surripuisse facem.
 Infelix Parnasse, tuo pars ista dolori
 Additur, & decori deficiis ipsa tuo.
 Occidit Aonii nemoris Philomela 6 Roseti,
 Musaque sed posthac vix habitura parem:
 Ille tuus 7 Wener, 8 altus Olor cui concita pridem
 Accinit applausu Balthis utrinque suo.
 Occidit ille Gothi Vates FORSSELIUS orbis,
 Maximus ingenio, maximus arte senex:*

C c 3

Ille

1 Dido, quæsi divido per Syncopen, accipitur pro divulgò, dispergo. Virg. Cognatique patres, tua terris didita fama. Idem: Diditur hic subito Trojana per agmina rumor. 2 tratatè patièdo superatas ærumnas. Cic. quod cum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. 3 id est, summum vale dicis invito mundo. Tractum à dissentibus conjugibus, qui distrahunt matrimonium. 4 pro fixis oculis, Hellenism. 5 lumen, vide p. 101, n. 30. 6 Metaphoricè Poëseos. 7 Synecd. Westrogothia, cujus lacus Wener est, 8 translatè excellens poëta, v. p. 14, n. 39.

Ille cui Phœbi chorus assurrexerat omnis:
 Quem nostræ agnovit Palladis aula ducem:
 Ille cui victæ posuere silentia Cirrhæ,
 Et Musæ positis obstupuere lyris:
 Ipse Amor, ipsa 9 Venus 10 geniali nectare chartas
 Imbuit, 11 Hybleis destua & ora 11 favis:
 12 Illimis, nitidus 13 priscoque simillimus auro
 Sermo fluit, qualis vel tibi, Naso, 14 fluit.
 Occidit ille tui vindex, *Elegia, nitoris,
 15 Impare subsultans, sic quoque pulchra, pede:
 Qui puer & juvenis Musis 16 impalluit, & vir,
 Et suprema seni 17 linea carmen erat.
 Projice, Phœbe, chelyn nervis ferale remissis,
 18 Inque cupressiferum barbata verte nemus.

Flete,

9 Lepos, venustus. 10 festiva suavitate. 11 dulcedine loquelæ. ductum ab apibus, quæ in Hybla monte Siciliæ, thymo & salicum copia abundante, pasta me optimum faciunt. Mart. *Quum dederit Siculis media de collibus Hybla, Cereopios dicas tu licet esse favos.* Virg. *Hyblais apibus florem depasta salicti.*
 12 purus, elegans. 13 h. e. nitori & cultui poetarum aurei seculi comparandus, utpote Ovidii, Tibulli, Propertii &c. 14 Epanalepsis. *Elegia sive Elegeia Latine sonat carmen miserabile, ab ἐλέω misereor, quod hoc potissimum genere carminis miserabiles hominum ærumnæ, & amoris querimonie soleant decantari: unde etiam à Poëtis lacrymabilis & flebilis Elegia perpetuis epithetis salutatur; quæquam postea & rebus lætis ferire didicerit, ut testatur Horatius. *Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voti sententia compos.* Ovid. *Flebilis indignos Elegeia solvo capillos: Ab nimis ex vero nunc tibi nomen inest.*
 15 alternis versibus, puta Hexametris & Pentametris leviter claudicans, subsultim decurrens. 16 impallescere, est rei alicui tam pertinaciter incumbere, ut inde pallor contrahatur. Persius: *At te nocturnis juvat impallescere chartis.* 17 exercitium artis poetice. Metaphora sumpta vel à Pictoribus, vel Geometris. *Nullam hodie duxi lineam.* ab Apelle pictore natum adagium. 18 id est. in fletus & lamenta: Cupressus enim signum funeris & doloris est.

Flete, licet, Musæ, sed nullum dicite carmen,
 Dum stupet, & mærens vestra Minerva tacet:
 Sistite cantandi iracundiam, pia turba, poetæ:
 Nullus in hunc ausit surgere præco diem.
 Quid juvat obtusas elegos disperdere in aures:
 Et fastiditam sollicitasse lyram?
 Scilicet omne jacet prostrato Præsidente vatium
 21 Nomen, & extincto principe sordet honos:
 22 Perpes, 23 deliquio lugubri vena laborat,
 Lethæusque 24 Claron nil nisi torpor habet.
 Sola Soror Cæli Pietas data 25 sindona 26 circum,
 Hospitis exequias, quem deamabat, eat,
 Illicet & fido det debita justa Clienti,
 Et sacro cineres perpluat imbre suos:
 Ordinet adque rogos sese sapientia caros
 Flumina, 27 Linigeros in sua vota Patres:
 Incedat fluidis 28 mussans Ecclesia vittis,
 Et decoret lessu funera digna pio.
 Efferimus clarum sacrosanctæ sedis 29 Epopam,
 Et tibi devotum, Christe benigne, Caput:
 Tollimus exuvias Pietatis, tollimus unâ
 Doctrinæ, & grata mole feretra tument:

Clan-

19 tralatè furorem poeticum. Horat. Archilochum proprio rabies armavit
 Jumbo. 20 ferire, pulsare. 21 gloria. 22 perpetua, continua, non interrupta. 23
 defectu torpet. 24 Musas. continens pro contento. Claros sive Clarum, Joniæ ci-
 vitas Apollinis oraculo celebris juxta Colophonem. Hinc Apollo Clarius dictus est,
 qui illi: sanum habuit, in quo responsa, epota aqua edebantur. 25 vide p. 111. n. 5.
 26 Tmesis. pro circumdata. Græcism. 27 Sacerdotes. vide pag. 164. n. 24. 28 que-
 rens, ingemiscens. Virg. Flent mæsti, mussantque patres. 29 vide p. 182. n. 40.

Clauditur angusta Superum Tuba fortis in urna,
 Invisamque 30 scrobem Buccina 31 cœles habet,
 Cujus ad occentum stygiæ tremuere phalanges,
 Rupit & infelix tristis 32 Alastor opus:
 Lumina 33 Avernali micuere papavere pressa,
 Et patuere aures, turba supina, tue:
 Pectoraque in liquidas abiere adamantina ceras,
 Admisitque sacros fibra gelata focos:
 Sistere cui præceps cœloque adverteris Orbis,
 Et facili rursus conciliare DEO.
 Talis, Sancte Senex, omnis, dum vita manebat
 Vita peracta Tibi est, Sparta peracta Tibi:
 Talis pascis oves cara mercede redemptas,
 Commissumque Tibi, Pastor, ovile foves.
 Non succum pecori, non lac subduxeris agnis,
 Non paleis illos quibusvisque repleas.
 Non 34 cristata Tibi Pitheo 35 phalerisque superba est,
 Candida sed placido corde 36 columba placet.

Te

30 tumultum, sepulcrum. Genus pro specie. 31 singulariter pro cœlestis, auctoritate Ovidii, qui Augustum Cælitem vocat. vide p 168. n. 57. 32 Alastor, ab ἀλαστώ crucio, malus genius, Dæmon. item animus sibi malè conscius, sive conscientiæ remorsus. Numeratur etiam inter eqvos Plutonis. Claudian. Orphneus crudele micans, Æthonque sagitta Ocior, & Strygii crudelis gloria Nystens Armenti, Divisque nota signatus Alastor. 33 id est, aperti sunt oculi somno securitatis oppressi, Metonymicè, papaver, genus herbæ somniferæ est. Ovid. Quoque soporiferum grana papaver habet. Virg. Urant Letheo perfusa papavera somno. 34 tralatè, facundia affectata. 35 id est, fucata. Metaphora ducta ab eqvis venalibus, qui ut carius vendantur, phaleris solent exornari. 36 id est, sincera simplicitas, quæ columbarum est, quibus nihil mitius ac simplicius. Hinc proverbium: mitior columba, de homine incredibili mansuetudine prædito.

*Te Candor simplex & amans Constantia recti,
Te Charis & Pietas ambit & alma Fides.*

Heic sua sinceri posuere cubilia amores;

Nil odio, aut rixis invidiaeque datum.

Talis erat Domus illa Tuo 37 tornata cerebro,

Talis ad exemplar stirps generosa Tuum.

Mens tranquilla Tibi, nec grandis conscia culpa.

Non gravis haec patriæ, non fuit illa bonis.

Vixisti Tibi, vixisti sine crimine Musis.

Cetera, quod de Te, nemo, queratur, habet.

Tuque adeo, quæ nunc in amarus diffuis imbres,

Pergis & 38 Undena Voce ciere Virum,

Vince animum, CHRISTINA, Tuum, fatumque triumphæ,

Nomine & ostenta robora digna Tuo.

*Quid juvat * insanos lacrimarum haurire culullos,*

Dum Tuus æterno nectar ab ore bibit?

Dum Tuus æthereis immistus Vatibus astra

Calcat, & ignavam despicit 39 altus humum?

Respice, quæ mæste liquit solatia Matri,

Pignora, concussæ fortia fulcra Domus:

D d

Respi-

37 translata formata, composita. 38 id est, una cum undecim liberis nomen mariti inclamare. allusum ad antiquorum morem, qui cadaverum recens exanimatorum faciem identidem frigida abluere, nomenque eorum clara voce inclamare solebant, ne forte Syncope correptos pro mortuis funerarent. Nam qui animi deliquium patiuntur, mortuis simillimi sunt. Cum hoc subinde agendo nihil proficeretur, post ultimam conclamationem re jam desperata comburebantur. Hinc corpora conclamata dicuntur, h. e. deplorata, quibusque extremum hoc conclamationis præstitum est officium. Item Conclamatum est, pro transactum & finitum. * h. e. imtemperanter lacrimis ac dolori indulgere. Culullus calix seu urceolus est. Horat, Reges dicuntur multis urgere culullis, Et torquere mero, quem perflexisse laborant. 39 divus, glorificatus.



Respice 40 Cygnéas referentem vertice 40 plumas,
Respice tot titulis tempora facta suis.
Scilicet implevit quicquid mensura Tonantis
Donat, & 41 immensi prodiga dextra 41 Senis.
Non est, Melpomene, tua 42 quæquævera nenia tristi
Amplius ut 43 buxo vulnera nostra fricet.
Quin 44 mage pro lessu letum Peana canemus,
Faustaque pro feretro ferre tropæa decet.
Vicit io! vicit sacris FORSSELIUS armis,
Deque suo felix funere victor ovat.
Vivit io! vivit cælesti sede receptus,
45 Halcyonumque agitat nunc sine fine 45 dies.
Ferte crocum, Tumulumque pio conspergite 46 amomo,
Ferte pii Vates, dona suprema, rosas.
Spargite odoratos per marmora Nestoris imbres,
47 Cinnamague & 48 stacten 49 Cecropiumque thymum.
Interea

40 canitiem, canos. Ovid. *Jam mea cygnéas imitantur tempora plumas.*
 41 puta Dei T. O. M. qui à Daniele cap. 7. v. 9. *Antiquus dierum* appellatur. 42
Quæquæverus, vel *quærcerus*, est frigidus cum tremore. Lucil. *Quæquævera conse-*
quitur febris capitisque dolores. Idem. *Factas me ut febris quærcera.* 43 signum
 pro signato. id est, lamentis, quærelis dolorem nostrum renoves. *buxus* enim ar-
 bor funeribus adhibebatur. 44 *mage* pro magis veteres dixerunt. 45 h. e. æterna
 tranquillitate fruitur. vide p. 187. n. 61. 46 *Amomum*, frutex est ex ligno se con-
 volvens in racemi modum, flore, ceu candidæ violæ, foliis vitis albæ similibus.
 47 vide p. 194. n. 16. 48 *Stacte*, à *σάκτιν*, distillare, est pingvitudò seu lacryma cor-
 tice inciso Myrrhæ defluens. Ejus præcipua virtus est, ut mortuorum cadavera incor-
 rupta conservet. Ovid. *Nondum pertulerat lacrymatas cortice Myrrhas.* Plaut.
Tu mihi stacte, tu cinnamomum, tu rosa. 49 Metonymicè præstantissimum,
 quæle Cecropium, id est, Atticum, sic dictum à *Cecrope* primo Atheniensium Rege,
 qui Athenas instauravit. *Thymus* frutex est odoratus, apibusque gratissimus. Virg.
Dumque thymo pascuntur apes, dum rore cicada. Idem. *Cecropias innatus apes*
amor urget habendi. Mart. *Cecropios dicas tu licet esse favos.*

Interea has umbras gratissima myrtus obumbret,
Et cinis hic laurus germinet usque novas:
Hic violæ crescant 50 immortalesque Amaranthi:
Hic Majus passis ambulet ipse comis:
51 Depectant flores Zephyri lætique jocentur,
Lenis & in placidis 52 oscitet Eurus agris.
Omne genus Volucrum Vatem memorabit, & aër
53 Vocali totus seditione fremet:
Hic 54 frangat Fringilla sonos, & triste Poëta
Gutturis obsequium solvet Alauda suo.
Ipsa perorabit fracto Philomela susurro;
55 Cognatusque elegos hic Tibi fundet 55 Olor.
Ultimus accedam, tanti ludibria cætus,
Pfittacus ad Tumbam, summe Poëta, Tuam,
Et quæ proveniunt lento luctata palato,
Signa dabo mæstæ mentis amica: VALE!
Dum stabunt Cathedræ atque Scholæ, dum Tempa perennant,
Personat & Gothicos dia Poësis agros,
Stabit in æterna Famæ Venerabilis Æde
Noster, ad exemplum sera senectæ Tuum:
Lingvet & ambiguum docto FORSSELIUS orbi:
Carminè num fuerit Naso, vel ipse, prior.



FACES

50 *Amaranthus*, herba ab immortalitate nomen habens, nunquam enim mar-
 cessit. Derivatur ab *a* priv. & *μαραίνωμαι*, siccor, tabesco. 51 translàtè leniter
 afflent. 52 susurret, leniter spiret. Virg. --- quos leniter afflans *Aura susurran-*
tis possit confundere venti. 53 concertatione cantus. 54 rotet, variat. 55 Poëtas
cygnos appellari ob cognatam quandam cantus suavitatem ex Virgilio, Horatio a-
 liisque notissimum est. vide pag. 14. n. 39.



FACES NUPTIALES NEONYMPHIS,
VIRO

NOBILISSIMO atque AMPLISSIMO

DOMINO

NICOLAO PORATH,

COLLEGII REGII METALLICI CAUSARUM
PROCURATORI

GRAVISSIMO;

Nec non

VIRGINI

OMNI VIRTUTUM SPLENDORE

ORNATISSIMÆ LECTISSIMÆque,

ANNÆ FAHLHEIM,

IN FELICIA THALAMORUM AUSPICIA

Die XX. Febr. M DCC XXIV.



At lituis laurisque datum, sat tristibus umbris:

Sint satis ad claros verba 1 ululata rogos:

Sufficit angustas Regum ferventius iras

Audaci vatem percrepuisse tuba:

In decus invisi Martis 3 trivisse cicutam

Sufficit, & 4 veris floridioris opes.

Nunc jubet ad castos divertere turturis ignes

Me Venus, & murmur passer inire tuum:

Disce.

1 passivè more poëtico. 2 tuba aliquando carmen epicum seu heroicum designat, vide p. 78. n. 54. 3 id est, omnem poësin impendisse. 4 tralatè juventam.

Discere cygnorum connubia, blanda columbæ
 Prælia, & alternis rostra rotata labris.
 Nil tetricum jam plectra sonant: siluere cothurni,
 Assuetusque 5 modis exulat usque 6 rigor:
 Liberior fidibus contendit Musa remissis
 Fundere in imbelles carmina prona thoros:
 7 Ampullas sollers & verba crepantia damnat:
 Sola iuvant dici, quæ tener optet Amor.
 Cernis ut in totum scribenti invertitur ordo?
 Vatis ut omne potens 8 Ida reformat opus?
 Cogitur in Paphiæ miles 9 poppismata Matris:
 Frigidus in molles penè poëta jocos.

TUQUE adèd, qui carmen eris, Generosa Juventus,
 PORATHIDES, celebri consociande iugo,
 Vermia quem pridem pulchros eduxit in ausus,
 Imbuit & genio divite 10 Clara sagax:
 Quem Themis immensos Juris transmisit in hortos,
 Fuffit & Arctoi Numinis 12 ore loqui:
 Impiger 13 abstrusam qui perscrutaris & 13 aulam,
 Excutis & Ditis scrinia vasta domus:

D d 3

In

5 carminibus. 6 severitas, gravitas, qualis cothurnatum vatem, id est, her-
 oicum, decet. 7 h. e. verba turgèntia & inflata abjicit. Metaph. Horat. *Projicit
 ampullas & sesquipedalia verba.* Idem. *An tragica deservit, & ampullatur in
 arte.* 8 Metonymicè Venus. Ida mons Phrygiæ ad Trojam Veneri sacer, in quo
 Paris contententium Dearum iudex pastoritio habitu confedit, ex quo & Jupiter
 Ganymedem rapuit. 9 blandimenta, adulationes. vide pag. 153 * 10 fluvius Ca-
 rollstadium alluens, ubi sedes Superintendententis & nobile Gymnasium. 11 translate
 Digesta, Pandectas legum. 12 id est, adesse Regi in causa officii gratia, seu agere
 advocatum. 13 puta Pluti seu Ditis, id est, loca subterranea, unde metalla & o-
 pes omnes eruuntur.

In vetitum graviore nota qui triste ruentes
Stringis, & 14 attenta crimina 14 lynce feris.
Subde tepescenti faculam, Neonymphe, Thalia,
Explicet ut 15 flammæ fortius inde Tuas.
Incipe vel jam nunc rigidum me teste Catonem
Exuere, & 16 rugas, torve 16 Cratippe, tuas:
Nosce triumphales Lucis Genialis honores,
Gaudia quæque vehit rara, serena dies:
Hæc Lux tota Tua est. clamosi jurgia 17 Circi
Absint, &, querulo qui gemit ore, cliens.
Ipsa Astræa suo lances suspendit Alumno,
Vibrat & 18 Idalias officiosa faces?
Non agitur jam causa mali, non palpitat 19 error:
Ambulat immuni liber in urbe reus.
Plausibus est sacrata Dies lepidisque 20 choræis,
Quam semel in vitæ tramite letus agas.
Nil nisi mite decet Sponsos. Prescribat 21 Adonis,
Quæ placeant Nuptæ, mollia iussa, Tux.
Pandectæ sordent veteres, nova jura resurgunt,

Qua-

14 Metaphoricè acumine, perspicacitate, instar Lyncis, qui acutissimi visus est. Auctor p. 153. n. 48. --- pellucet utrinque Fabula, cum vigili vulpecula lynce tenetur. 15 amores. 16 id est, supercilium, gravitatem, severitatem, qualem Cratippus Peripateticus Athenis præ se ferebat. 17 translætè fori. 18 h. e. geniales, nuptiales. *Idalium* Cypri oppidum est, unde Venus Idalia, nemus Idalium, Virg. de Venere: *Est Amathus, est celsa mihi Paphos atque Cythera, Idaliæque domus.* 19 Synecdochicè errantes, delinquentes contremiscunt formidine pœnæ. 20 Chorea penult, indiff. Virg. *Pars pedibus plaudunt choreas, pars carmina dicunt.* Idem: *Immemores nostri festas duxere choræas.* 21 *Adonis*, filius Cinyræ Cypriorum Regis & Myrrhæ, quem ob formæ excellentiam Venus in deliciis habuit.

Qualia 22 Acidaliis dat Cytheræa choris:
Mutat verba fori FAHLHEIMIA, mutat honores,
Et pulchræ Columen Te cupit esse Domus.
Lex amor est, lex cura thori, lex cura nepotum:
Pro Prætorè Venus, Principe letus 23 Hymen.
Sponsa rea est. Sponsæ Tu Tutor amabilis: ipsa
Pergratum thalami forma Tribunal habet.
Lis brevis est, totam dirimunt cum basia litem,
Et causam coram Conjuge Sponsus agit.
Optima Tutoris sors est, ubi Nupta clientis
Nomine Tutorem nuncupat ipsa Virum:
Cum 24 pretium dictæ non sunt 25 sestertia causæ,
Sed pretium lecti tota Marita datur.

ERgo age jam faciles salienti pectore vultus
Indue, & acceptis utere, Sponse, bonis.
Nubilis en! Cyprias Te nunc invitat ad aras
ANNA, verecundi mascula flamma thori:
Cujus in amplexu Venus omnis & omnis inerrat
Gratia, nec pulchra dote Minerva gravis:
Temperat innocuos generosa Modestia mores,
Et facili mixtus simplicitate Pudor:
Effinxit teneros solers Prudentia sensus,
Preludens cura pondera vera levi:

Omnia

22 id est, Gratiis, Veneris comitibus, quæ sorores Acidalia passim à poëtis appellatur à fonte Acidalio Orchomeni oppidi Bœotiæ Veneri facto, in quo se lavant, unde etiam Venus Acidalia dicta est. 23 Hymen, filius Bacchi & Veneris Deusque nuptiarum, qui & Hymeneus dicitur. 24 pretium pro præmio, mercede, vide p. 192. n. 6. 25 Synecdochicè pro pecunia. Continent autem singula Sestertia in se duas libras Romanas & semissem, & valent mille nummos sestertios.

Omnia concurrunt Virtus, Fortuna, Venustas:
 Capsula multijugi ditior ANNA boni est:
 Hic Vires Natura suas consumpsit & artem,
 Et dubitat posthac fingere posse parem.
 Ergo quid ambrosiis cessas amplexibus abdi?
 Primitias Veneri cur renuisse velis?
 Aude aliquid, Neonymphe, favet Cythereia votis
 Mater, & ad placitum Cypridis aula patet.
 Undique conspirant blandissima sidera, Cælum
 Annuit, arrident 26 Vesta 27 Thetisque Tibi.
 Scande thorum, at qualem posita gravitate Catonem
 Conjugis in gremium credimus isse suæ.
 Scande PORATHE thorum: quæ quondam dextra tabellam,
 Nunc agitet tepidi tubera bina sinus:
 Quemque suo dudum satiarunt nectare Muse,
 Ex oculis ANNÆ nunc satiare Tuæ.
 Fiscus hic est, ex quo poteris sperare Nepotes,
 Et generi toties lucra parare Tuo.
 Cernis ut ingenuæ 28 rubuerunt Virginis 29 astra,
 Et lepor, & primi pronuba flamma thori?
 Cernis ut arguto quicquam Tibi spondet ocello?
 Ut tacito nictu gaudia pacta beat?
 Dum Venus ad nutus Tibi 30 vernas commodat 30 horas,
 Utere propitiæ commoditate Deæ:
 Ludere conveniens juveni est: tunc oscula carpat,
 Cum sua maturo flore juventa tumet.

Hoc

26 Terra. 27 mare. Virg. tentare Thetis ratibus. 28 simpl. pro composito erubuerunt. Cic. erubescunt pudici etiam loqui de pudicitia. Terent. Salva res est, erubuit. 29 tralatè vultus. 30 floridam juventutem.

Hoc Natura viris dedit, ut post tedia facta
Contumulent dulci tristia quæque sinu.

Et Tu 31 *fidereas inter gratissima Nymphas,*
Maxime Montanæ virginitatis Honos,
Utere flore Tuo; rosa marcet, mobile tempus
Avolat, & 32 *repens terga Senecta premit:*
Succedit morosa dies & ineptior atas,

Quæ fugat 33 *Idalium ceu furiosa 33 jugum:*
Scilicet in vacuo furor est sterilescere lecto,
Et damnare sacras ambrosiasque dapes:
Lucra parit versas 34 *Aquiloni ostendere glebas;*
Sed quas divitias terra inarata dabit?

ANNA Jatis sterilem sit jam coluisse pudorem:
Disce maritales obsequiosa jocos:

Et Matris quam suavis honos, cum pignora circum
In tenera ludant reptile vulgus humo.

Et dum tot clamata domus heredibus audet
Ora imperfectos balba ciere sonos,

Oscula profuerit teneris fixisse labellis,
Gentis & innocuas 35 *lene inhibere minas.*

Hæc, in 36 *clavigeras cum se demitteret 36 ulnas,*
Pectore lustravit 37 *Deianira suo,*

E e


Hæc

31 formosas, nitentes instar siderum. Hyperbole. 32 *repens* particip. penultimam producit, contra vero *repens* nomen eandem corripit. tratatè inopinum, improvisum. 33 id est, conjugium. 34 species pro genere. 35 adverbialiter pro leniter, placidè. 36 id est, Herculis, qui *claviger* dictus est, quod clava usus fuerit, quam quis illi extorquere proverbialiter dicitur, qui sibi vindicare conatur, quod aliàs jam potentior occupavit. Ovid. --- *illic lavere Bimembres Vulnera, clavigeri quæ fecerat Herculis arcus.* 37 filia Oenei Regis Calydoniæ, quæ Acheloo rivali interempto Herculi nupsit, eique Hyllum filium peperit.

*Hæc pia Penelope committens brachia Ulyssi,
Brachia 38 Sithonia candidiora nive.*

*Ludite, florentem valide exercete juventam:
Affluat omnigena prosperitate Domus:
Lusitet in patriis Æneas parvulus aulis,
Et referat Matrem parva Creüsa suam.*

38 *Sithonia* Thracia vocatur. hinc *Sithoniæ nives*, id est, *Thraciæ*. Virg. *Sithoniasque nives hyemis subeamus aquosa.*



EPICEDIUM

IN

FATA PRÆMATURA
GENEROSI AC NOBILISSIMI
VIRI-JUVENIS

DN. CHRISTIANI
VON NACKREY, FILII,
OFFICINARUM METALLICARUM PATRONI
ADCURATISSIMI.

Nat. d. 2. Octob. MDCXCII. Den. d. 31. Maji MDCCXXIV.
& d. 4. Octob. Ejusdem

DECENCTI EXSEQVIARUM RITU

In

TUMULUM HIELMSETRA . MELPLANENSEM
ILLATI,



Ermaia, quæ 1 Ditis * costas infringis & artus,
Intima secreta scrutataque viscera 2 Vestæ
Elicis 3 eduro 2 matris vel ab ubere lucrum.

Vermia, grandisonum fecunda puerpera 4 vatum
Et 5 Cirrhæ fatalis honos, quo sola triumphans

Nomine tot summa despectas rupe sorores,
Dum satagis priscas 6 foccis inducere Athenas,
Altius atque suo Latium vincere 6 cothurno.
Da veniam, torpens si Botnidis algida alumnus,
Quem 7 Bellona ruens atque 8 indignatio quondam
Vindicias fecere sui & solatia vatem,
Carmine fortè tuis (habet & sua pondera vari
Scriptoris novitas, quandoque meretur & aurem)

E e 2

Susti-

1 Dis creditur esse inferorum Deus, quod divitiæ ex intimis terræ visceribus effodiantur. Ponitur etiam pro divite. Terent. *Dis quidem essem Demea, ac rem tuam constabiliffes.* Plaut. *boni homines & dites.* Liv. *in diti domo.* *Metaphoricè saxa & metalla. 2 Terra vocatur *Vestæ*, sive quod rebus omnibus vestiatur, seu quia vi sua flet. Ovid. *Stat vi terra sua, vi stando Vestæ vocatur.* Dicitur & *Mater.* Columel. *Tu penitus clathris eradere viscera matris Ne dubita.* Plin. *Sequitur terra, cui uni rerum propter insignia merita cognomen indidimus maternelæ venerationis. Nos nascentes excipit, natos alit, semel editos sustinet, & semper novissimè complexa gremio jam ab reliqua natura abdicatos, tum maxime ut mater operiens.* 3 pro valde duro. Virg. *Eduramq; pyrum, & spinos jam pruna ferentes.* 4 quorum excellentiores numerantur: *Hermelinus, Lagerlöfvius, Eurelius sive Dahlstiernius, Linderstolpius, Piscator &c.* 5 id est, Musarum, sive artis poëticæ. vide p. 96. n. 23. 6 h. e. stylo comico Græcos, carmine epico seu heroico Latinos æmulari. *Soccis* enim incedebant Comædi, cothurnis Tragedi. Horat. *Hunc focci cepere pedem.* Quintilian. *Socco ne ingrediatur Tragedia, non Comædia in cothurnos assurgat.* vide p. 1. n. 8. 7 h. e. exautoratio militiæ A:o. 1719. 8 iustus dolor: Juvenal. *Si natura negat, facit indignatio versus.*

*Sustineam sacrare 9 Togis. Tu Proles inundans
 Deslendam lacrimis urnam pia Mater acerbis,
 Quantumvis ignara meos simul obruis 10 ignes,
 Et partem invisas nostri facis ire sub umbras,
 Ut vates jam sponte loquar. Dum misceor istis
 Funeribus, commune malum dum versat utrosque,
 Jure tui cineres puto me tumulumque vereri
 11 Pignoris, & gratas tibi nunc impendere 12 taxos.*

*Tristes exequias & inexpectata vigentis
 Funera 13 Narcissi nuper praeuptaque Nostri
 14 Stamina qui spectas, versosque in lurida vultus
 Marmora vernantes, mecum suspiria misce,
 Disceque mundani quæ sit vertigo theatri.
 Vivimus, & Pyllos spe prospectamus in annos
 Absurde canti, vix terna 15 triboria cursum
 Absolvere suum, cum trux 16 Libitina per artus
 Victrici grassatur acu, nil contra 17 Melampus,*

Nil

9 id est, nobili viro juveni plural. pro sing. signum pro signato. Deposita enim *Toga* puerili, quæ & *Prætexta* appellabatur, quam nobiles & ingenui pueri usque ad septimum decimum annum ætatis gerebant, sumebatur alia, quæ *virilis* & *pura* dicebatur, quod nullo purpura prætextu distincta esset. 10 tratatè amicum. Virg. *At mihi sese nitro offeri meus ignis Amyntas.* Ovid. *Sæpe suos solitus recitare Pro-
 pertius ignes,* i. e. amores. 11 i. e. alumni. Ovid. *Quo possit pœnas pendere, pignus ha-
 bet.* Ceterum notissimum est uxorem, liberos, & amicos *pignora* appellari. Ovid. *Respicens oculis pignora cara meis.* Idem, *Dulcia sollicita gestabant pignora
 matres.* 12 id est, lacrimas, querelas. signum pro signato. *Taxus* enim arbor fu-
 nereæ est. vide p. 3. n. 42. 13 Poëtæ fabulantur *Narcissum* puerum fuisse Cephisi
 fluvii & Lyriopes Nymphæ filium, tanta formæ præstantia, ut quum aliquando ad
 fontem bibiturus accessisset, inspectæ suæ imaginis amore captus, quum nulla
 potiundi amoris spes esset, nimio desiderio contrabuerit, & in florem sui nominis
 commutatus sit. vide Ovid. 3. *Metam. Fab. 7.* 14 sila vitæ. v. p. 6. n. 14. 15 trium
 horarum spatium. 16 Mors. 17 Melampus filius Amythaonis. Synecdochicè pro quo-
 vis præstantissimo medico.



Nil 18 Chiron, nil 19 fontis acor, nil pharmaca mille
 Cocta recocta modis profunt, totusque 20 Machaon:
 Ipse licet Phæbus gemmas 21 jugularit in haustum,
 Nil agitur; sub sole nihil durabile: nutat
 Orbis & immodicè pervertit cuncta rotatrix
 Atropos: atatis nulla est reverentia, sexus
 Nulla: case turresque ruunt 22 discrimine nullo:
 Non aurum, non gemma necem, non marmora vitant
 Interitum, sentitque suam pila saxeæ mortem.
 Qvò malesana ruis tandem, trux Parca, quid ille
 Nostratis meruere rosæ 23 Pallantis? 24 Adonim
 Quid vita spoliare juvat? converte pharetram,
 Huc gressus, huc ora refer, vilemque popellum,
 Et quibus assuevit fatum crudeliter uti:
 Qveis dubia admoto pendent vestigia fuste,
 Totaque 25 olorinis candescunt tempora 25 plumis,
 Dejice, nec vernos tangant dispendia flores. .
 Scilicet 26 Euboicæ transcendere secula 26 vatis

E e 3

Dignus

18 Chiron Saturni & Philyræ filius. Virg. --- cessere magistri, Philyrides Chi-
 ron, Amythaoniusque Melampus v. p. 186. n. 54. 19 Acidulæ. Syeth. Surbrunnar.
 20 Machaon filius Æsculapii, medicus insignis, ut & frater ejus Podalirius. Hic e-
 tiam cum reliquis Græciæ principibus ad Trojam venit. Tandem ab Eurypylo oc-
 cisus. Virg. Pelidesque Neoptolemus primusque Machaon. 21 tralatè consumserit,
 dissolverit, Martialis: --- scelus est jugulare falernum. Cell. quartana neminem ju-
 gulat. 22 Horat. Pallida mors equo pulsat pede pauperum tabernas Regumque
 turres. v. p. 94. n. 3. 23 Pallas Evandri filius, qui Æneæ suppetias missus adversus
 Turnum, ab eo occisus est. Virg. Ipse caput nivei fulum Pallantis, & ora Ut
 vidit. 24 Amasius Veneris, v. p. 214. n. 21. 25 translacè canis, canitie. Ovid. Jam
 mea cygneas imitantur tempora plumas. 26 i. e. Sibyllæ Cumanæ. Eubœa, insula
 in Ægæo mari adjacens Atticæ à Bœotia Euripo determinatur. Statius: --- Euboicæ
 carmen legit ille Sibylla. Ovid. Carminis Euboici fatalis verba Sacerdos Inspicit.

*Dignus erat Noster, seu prima exordia vitæ,
Seu progressurum species virtutibus ævum.*

*Ignæus ex puero vigor & cœlestis origo
Proditur, & vivax ad quævis 27 pulchra cerebrum.
Mascula Salano sapuit sub colle juventus
Aoniis gaudens studiis. Lasciva 28 Vacunæ,
Atria, Circææ fastidit pocula facis,
Dum laudum decurrit iter, 29 Phocæaque scandit
Culmina: multiplicis veri pernoscere causas
Cura fuit, doctasque animum diffundere in artes,
Derivantur enim in sobolem documenta Paternæ
Virtutis: simili juvat inclarescere fama.
Nulla mora est, nescit mentis rapidissimus ardor
Delituisse domi, sed cum conceperit 30 ignem,
Incaluitque, lares pulsât, rumpitque catenas:
Spernit humum meliore fuga, gremiumque recenset
Naturæ, & mundi 31 tendit penetrare recessus.
Itur in Europæ 32 flores: jam dextera solers
Scrutatur 33 Tamefis 34 stannum, jam Rhenus & Albis*

35 E-

27 præclara, honesta. 28 *Vacuna*, à vacando dicta, est dea, quæ præesse vacantibus & otiosis putabatur: cui cum agricolæ laboribus ruris vacarent, ut post perceptos fructus requiescerent, per hyemem vota solvebant, & sacrificabant. Horat. *Hæc tibi dictabam post fanum putre Vacunæ.* Ovid. *Nam quoque cum sunt antiquæ sacra Vacunæ, Ante Vacunaleis stantque sedentque focos.* 29 id est, Parnassum. v. p. 33. n. 38. 30 translâtè stimulos virtutis, i. e. ambitionem honestam. 31 aspirat, conatur. Virg. *Ille Simul manibus tendit divillere nodos.* Ovid. *Fraier ad eloquium viridi tendebat ab avo.* Liv. *dum evadere tendunt.* Quintilian. *paulatim ad majora tendere incipiet.* 32 i. e. Instrantur floridissimæ regiones Europæ. 33 Synecdochicè Angliæ. 34 contentum pro contin. fodinas, unde præstantissimum stannum eruitur.

35 *Epoti: spatii ubi se* 36 *Cyllenius amplis*
Explicat, & vasti vendit vaga munera mundi.
Jam civem dubias dextrè docet 37 *Amstela merces*
Atque 38 *tabernarum curam: jam* 39 *Mosa nigrantes*
Inter 40 *Eburonum* 41 *Chalybes, follesque rotasque*
Fornacesque truces raptat, quà flamma metallis
Incubat, & duris 42 *Martem thoracibus indit.*
Diversum linguis, diversum moribus acri
 43 *Versat mente genus, populoque observat in omni,*
Quæ factu, quæ 44 *digna fuga, servataque prudens*
More apis in certas disponit singula cellas.

Hic Vir hic est Juvenis, Patriæ virtutis Imago
Prima, NACREÏADES, cujus sub moribus insons
Emicuit Pietas & blandæ gratiæ vitæ:
Extollit quem cana Fides, generosaque mentis
Simplicitas: semper qui rex diademate major,

Fortu-

35 i. e. quicquid notatu dignum ad Rhenum & Albim occurrit, diligentissime observatum est. Ceterum poëtis locutio familiaris est. *bibere, potare fluvium*, pro habitare ad eundem. Ovid. --- *tanto est Albula pota Deo.* 36 Mercurius, qui negotiatoribus præsidere existimatur. sic dictus à *Cyllene* monte Arcadiæ, in quo *Maja* à *Jove* compressa illum peperit, Virg. *Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.* 37 Synecdochicè *Amstelodamum*. 38 negotiationem. 39 fluv. vulgò *die Mase*. 40 *Leodicensium*. Caput provinciæ *Leodicum* est, vulgò *Lüttich*. 41 Synecdochicè *Metallarios*, sive *Metallicos*. *Chalybes* propriè dicebantur populi in *Ponto* juxta *Thermooontem* fluvium, qui ferrum nudi effodiebant, Virg. *India mittit ebur, molles sua thura Sabæi, At Chalybes nudi ferrum.* Est & *Chalybs* fluvius in *Hispania*, in quo ferrum optimè temperatur, juxta quem & *Chalybes* populos collocat *Justinus* libr. ult. de quibus nonnulli putant intelligendum illud *Virgilii: At Chalybes nudi ferrum.* 42 milites, Metonym. 43 *tralatè*, curiosè inquirat in mores & studia variarum gentium. 44 quæ faciendæ, quæ sint fugiendæ.

Fortuna ridente leves 45 depascere cristas,
 Trudere avaritiam, fædos proscribere luxus,
 Irarum frenare faces, mollire dolores,
 Debellare metus, spes mente repellere vanas,
 Usque cupidineos extinguere novit & æstus:
 Securus secli supera qui mentis ab arce
 Errores juvenum malesanaque gaudia risit:
 Quicquid 46 dulce nocet, sprevit moderata voluptas:
 Cui suprema dies, & 47 inexorabile pensum
 Crebrius obversat: qui ceu conviva recedit
 Casibus humanis satur, edormire paratus
 Latior & longam plebejo in pulvere noctem.

Discite, spes patriæ, Juvenes, quo more paretur
 Nomen, & egelida decus accersetur ab urna.
 Non hoc diducti numerosa gente tribules,
 Raraque patricias ostentans purpura cunas
 Divitiæque dabunt, perituraque lamina glebæ;
 Sed noctis 48 fuligo ferax, 49 suspensaque Pallas,
 Plenum animi pectus, 50 calor innixusque severo,
 Unaque, virtutum 51 Colophon & gemma sororum,

Illa

45 Metaphorice deponere fastum. 46 Horat. Sperne voluptates, nocet emta
 dolore voluptas. 47 i. e. mors, fatum. Martial. Lanificas nulli tres exorare puel-
 las Conigit, observant, quem statuere diem. Ovid. Tendimus huc omnes, me-
 tam properamus ad unam, Omnia sub leges Mors vocat atra suos. 48 id est,
 lucubrationes. Quintil. fuligo lucubrationum oratori bibenda. Auctor p. 175. n. 91.
 -- facta fuligine noctes Sufficiunt, vigilaxque quies. 49 Metonymicè studia,
 quæ cultores suos anxios & sollicitos habent. 50 fervor juvenilis gravitate.
 i. e. ratione & consilio temperatus. Auctor p. 172. lin. ult. -- fulti gravitate calores.
 51 complementum, v. p. 115. n. 48.

*Illa 52 Pharos cæli Pietas, 53 Cynosuraque vitæ.
 Felices animæ! quas non 54 prætexta vacillans,
 Non luxus mentitur iners, aut prodiga fati
 Dulcedo 55 palpat, magnisque 56 interstrepit ausis.
 Hic vir erit, quisquis subducit pectora sorti
 Cauta levi, nullique potest obnoxius auræ
 Fortunæ faber esse suæ, securus & orbis
 Vani dulce habitat secum, placidèque quiescit.*

*Flos juvenum, lentas Tibi nunc subtristior undas
 Nora trahit, querulâque ferit Tua prædia lympha:
 Triste Edsualla gemit: pulchris Trosnæsia lucis
 Assuetum Domino mutat pallente virorem
 In taxos abitura nigras: ferale 57 Philippi
 Extorres stupuere, suus coquit angor & Hœlnam:
 Trans 58 Venerum ruit iste dolor: 59 Kinkulla feretro
 Proxima 60 Hamadryadas socias & 60 Oréadas omnes
 Convocat invisæ cumulum conferre cupressi
 Melplana meditante rogam, quem plurimus ambit
 Hielmsetra vel teste dolor lacrimæque perennes:
 Te labente labat fabricarum pulchrior ordo,
 61 Audacis ferrique labor: non viscera, non jam
 Mulciber exterebrat 62 Ditis: non brachia versant*

F f

111

52 v. p. 101. n. 30. 53 *Cynosura*, Urfa minor; *Helice* Urfa major vocatur. Ovid.
 Esse duas *Arctos*, quarum *Cynosura* notatur *Sidonis*: *Helicen* *Graja* carina notet.
 54 Pueritia, vide p. 25. n. 9. 55 palpat activè, i. e. quibus adulatur, blanditur. Juvenal.
 --- quem munere palpat *Charus*. 56 id est, obstaculo est. 57 vulgò *Philippstad*,
 oppidum *Wermelandiæ*, quod nomen debet Principi *Philippo*, *Gustavi M. Fratris*.
 58 *Wener*, Lacus *Westrogothiæ*. 59 *Kinne-kulla*, collis editissimus ibidem. 60 v.
 p. p. 55. n. 25. & 56. n. 26. 61 Metonym, efficientis, i. e. audaces facientes. 62 vide supra

*In numerum 63nudi Chalybes: non ingemit incus,
 64 Carmen & hac illac fabrefac resonans, ibi ibi, hic hic,
 Scintilla 65plaudente rotat: lugubre nigelli
 66 Mussant 67Cyclopum pueri, follesque fabrique
 Fornacesque silent: quin era liquanda caminis
 Indignata crepant, sonitusque canalibus absunt:
 Deficiunt fontes, mærore absorptaque stagna
 Arescunt, torpentque rotæ, ditesque fodinæ
 Parcius effundunt, Domino moriente, metallum.*

*Sic æternus eas Noster: Tibi veris inhalet
 Perpetui flores, sacramque amarantibus ad umbram
 Excubet: agnoscas sic Te desentis amici
 Officium, & nostris trepidet singultibus urna.*



AMOR.

63 vide supra. 64 nota versum tonum metalloꝝ ictuum, & quidem grandiorum literâ A, minorum autem I tenui exprimentem. 65 i. e. diffiliente. Virg. --- friduntque cavernis Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat. 66 queruntur. Virg. Flent mæsti mussantque patres. 67 Synecdochice ministri ferrarii, quales Vulcani illi Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro, Brontæque, Særopesque, & nudus membra Pyracmon. Virg.



AMOR SAPIENS,

IN

FESTIVITATE NUPTIALI

VIRI CONSULTISSIMI

**DN. BENEDICTI
FORTELLI,**

Supremi Justitiæ Tribunalis, quod Holmiæ est
NOTARII,

Nec non

VICE-JUDICIS TERRITORIALIS GRAVISSIMI,

S P O N S I,

ET

NOBILISSIMÆ LECTISSIMÆQUE VIRGINIS

ANNÆ CHRISTINÆ

VON **CHRISTIERSON,**

S P O N S Æ,

Arbogia d. 17 Maji 1733. Solemniter Celebrata,

TRIUMPHANS

Vindice calamo

G. L.



*Edite 1 pallidula mentes, quas 2 querquera febris
Possidet, & 3 pigri constringunt triste Decembres
Perpetuis saxis & frigora bruta Trionum:
Quas nec vere novo Titan, nec Sirius ardens
Emollit 4 faculis, non fervida brachia Cancri,
Non Leo, non dominans vegetantis Virginis astrum.
Cedite 5 Misogami, cerebella inversa, dolendi,
Cedite; desipitis, geminos jactantius axes,
Et quicquid sublime latet, metirier ausi,
Turpiter ignari vestrum, legisque verende,
Quam dictat Natura parens, quæ vindice Cælo
6 Servatrix animosa sui vitæque magistra
Sola agit, & verè potis est fecisse beaurum.*

Ludimus humanum genus heic & ludimur unâ
Diffimiles studiis: se versat maxima mundi
Machina, & ingentem miscet sapientia rebus
Stultitiam, sequiturque caput sua somnia quodvis.
Has inter curas operosaque ludicra rerum

Solus

1 Exangves. v. p. 35. n. 54. 2 *Querquera* vel *querquera*, quod est frigidum cum tremore, ideoque grave & magnum. Lucil. *Factas me ut febris querquera*. Idem. *Querquera* consequitur febris capitisque dolores. 3 Meton. Metaph. sensus est: qui frigore interno & stupiditate quadam mentis segnes & inertes in amotis studium facti, saxorum instar glacie concretorum torpent & rigescunt. Ovid. *Cessat iners rigido terra relicta situ*. Idem. --- *bruma recurret iners*. allusum ad fab. Andromedæ scopulo alligatæ, quam Perseus liberavit. vide p. 3. n. 49. 4 ætû, calore. 5 Conjugii osores, qualis erat Euripides Tragediarum scriptor, qui mulieres ferè omnes majorem in modum exosus fuisse fertur: unde & *μισογυνής*, id est, osor mulierum dictus. 6 Cic. *Non dubitemque dicere, omnem naturam esse servatricem sui, idque habere propositum, quasi sinem & extremum, se ut custodiat &c.*

*Solus Amor 7 Cyprisque sapit, panditque 8 superbum
 Invidia ringente decus. Non desipit ille
 Quisquis in optata gremium descendit amica
 Dura sepulturus thalamis fastidia castis,
 Et satagens studuisse sibi, quod proderit olim.
 Quis furor est odisse 9 Paphon? si Fœmina res est
 Optima, & utravis perhonestum sorte levamen:
 Si præsens medicina mali, si cordis 10 anhelii
 Forte refrigerium: tacitæ custodia mentis,
 Et potior futura domus, spes nominis una,
 Si 11 lumen, si dextra viri, si 12 dulce Necessum.
 Non satis est vixisse sibi. Sic vivimus 13 orbi
 Nomine & auxiliis, odiosaque fabula mundo.
 Cælibe non vita pejus, nec terra, nec æther,
 Nec pia posteritas, quod tali debet, habebit:
 Quin vacui pterumque gravis possessio lecti
 Audit suspectique aliquid, discriminis atque
 Nescio quid subolet magni, causaque 14 laborat.
 Unus homo puta nullus homo: non integer ille,
 Qui fida consorte caret, sociaque laborum
 Dimidioque sui: vitæque moratur inertii
 Solum, non vivit, versatile penè cadaver
 Magna parte sui. Fortunas contrahere cunctas*

F f 3

Cum

7 Patronym. Veneris. v. p. 60. n. 69. 8 excellens, gloriosum. 9 Meton. Venerem, conjugium. Paphos urbs in Insula Cypro Veneri sacra. unde Venus dicitur Paphia. 10 anxii, solliciti. 11 oculus. 12 dulcis necessitas. ita Bacchylides ἀνάγκη γλυκεία ait, quamvis alio sensu. 13 orbati, privati. 14 id est, vix solide defenditur. Cic. laboratur vehementer, inclinata res est. Quintil. Laboratur, in magnum discrimen est ventum.

Cum Cræso, 15 Pelope & gazas, cum Cæfare laurus:
 Cum felice dies numerato 16 Polycrate sudos,
 Jugera cum Crasso: quicquid calcaveris unquam
 Cum 17 Perseo, rosa fiat hians & lilia, quidquid
 Cumque Mida tetigisse juvet, coalescat in aurum;
 Destituare tamen bella si conjuge, qua cum
 Affectus liceat tuto & partirier ausus,
 Et mentem miscere tuam, 18 miserabile tantas
 Inter delicias, & tot solatia flebis
 19 Irus, & in mediis sitibundus 20 Tantalus undis.
 Nullius puta grata boni est habitatio cælebs:
 Dulcia amarescunt etiam sine compare quævis.

Defi-

15 vide p. 190. n. 32. 16 Polycrates tyrannus Samiorum, qui & opibus & felicitate adeo claruit, ut, quoad vixit, non tam fortunæ alumna dici potuerit, quam partus. Annulum habuisse fertur incredibilis pretii, quem ut nimis sibi blandientem fortunam aliqua adversitate temperaret, in mare abiecit, quem tamen postea in ventre piscis à coquo inventum recuperavit. Tandem ab Oronte Satrapa Darii Regis Persarum captus suspensusque genere mortis teterrimo vitam clausit, exemploque suo docuit neminem ante obitum merito dici posse felicem. 17 Perseus, dissyll. Jovis filius ex Danaë Acrisii Argivorum Regis filia, quam munitissimâ turri inclusam Juppiter imprægnavit. v. p. 3. n. 49. 18 pro miserabiliter, nomen pro adverb. Virg. --- miserabile casis hostibus insultans. 19 Synecdochicè rerum omnium exfors, homo extremæ inopiæ, qualis Irus ille mendicus Ithacensis afflecla procorum Penelopes, quem Ulysses domum reversus pugno interfecit. Ovid. Irus erit subito, qui modo Cræsus erat. 20 Synecdochicè homo inexplibilis avaritiæ, qui bonis partis frui non audet, instar Tantalii, qui, quod filium Pelopem Diis approposuerit comedendum, ad inferos detrusus perpetua fame & siti torquetur. Eridani fluvii aquis & pomis, quæ capiti ejus imminent, captationem ejus fugientibus. Horat. Tantalus à labris sitiens fugientia caprat Flumina, quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur congestis undique saccis Indormis inbians, & tanquam parcere sacris Cogereis, aut pictis tanquam gaudere tabellis. Hujus vitii cumprimis fenes arguit idem poëta de arte: Multa senem circumveniunt incommoda: vel quod Querit, & inventis miser abstinet ac timet uti: Vel quod res omnes timidè gelideque ministrat.

Deficimus stultè miseri, dum languida luctu
 Membra labant, tædet cæli convexa tueri,
 Tactus 21 hebet, nullo recreantur fomite nervi,
 Mensa 22 silet, gelido stridunt suspiria lecto:
 Singula 23 subsidunt, mortique simillima vita est,
 Atque unum præter cuncti insanimus Amorem.

At Tu, cujus amor generoso 24 incoctus honesto
 Fervet, & illustri succensus Virgine vultum
 Colligit optatis 25 vaga desideria in ulnis,
 Certior & prima spondet Te nocte maritum,
 Huc ades, & stolidæ damna deliria vitæ,
 26 Secubitus tristes, studia &, morosior etas
 Quæ probat exitiosa sibi, sapientior aude
 Exemplo mutasse Tuo, Neonymphæ, decusque,
 Et frugem thalami segnem docuisse juventam,
 Non heic, non 27 calamum pessundata Fennia Moscho
 Flagitat agra Tuum, florem qui reddat & annos:
 Non heic 27 Mercurio reparas 28 talaria Sveco,
 Assertamque cupis Codano littore Postam,

Secre-

21 translâtè, torpent manus ad tactum (qui tertius gradus Veneris est) in-
 tes & ineptæ. 22 Statius: *Et fuis in thalamis & mœsta silentia mensis.* 23 pes-
 sum eunt, corrûunt, dehiscunt. tractum ab aquis. Plin. *Quo sidentia imperii fun-
 damentum ostendo fatali Curtius expleverat.* 24 translâtè temperatus, compositus,
 Persius: --- *incoctum generoso pectus honesto.* 25 diversos, inconstantes amores,
 quales plerumque juvenum sunt. Horat. --- *cupidusque & amata relinquere per-
 nit.* Virg. *Uritur infelix Dido totaque vagatur Urbe furens.* 26 Catull. *An-
 xia nec mater discordis mœsta puella Secubitus misit caros sperare nepotes,*
 27 fuit enim Noster præmissa pace Neostadiensi ablegatæ Commissioni in Finlandiam
 à Secretis; ut & in Zelandiam restaurandorum Tabellariorum causa. 28 v. p. 157. n. 27.

Secretisque vacas solitis. Totum exigit Uxor,
Et ducenda domi Matris securior Anna.
Sat Themidi rostrisque datum. Digesta filescant
 29 *Pandectæque graves & acerbi Codicis usus,*
Et lances, Astræa, tuæ, rigideque secures.
Iustitium solenne potens nunc imperat 30 Ida,
Et ferias, Benedicte, Tibi, dum zona Puella
Maturæ solvenda venit, pulchreque Virago
 31 *Æstuat, & non vult primævis matribus esse*
Dissimilis, vel sola sibi sapuisse videri:
Fædera quin Saræ, tactamque ab amore Rebeccam,
Quæstamque diu rara mercede Rachelem
Mente pia volvens generosos 32 imbibit ignes,
Assvescitque Viro facilis, quo tuta Magistro
Et risus, primique inter 33 poppysmata lecti
Amplexusque suos sapiet, thalamisque decorum
Inferet & leges nuptis præscribet amandi.

Convenere Domus dignæ, fascisque duarum
His coeunt pulchre 34 tædis. In Iudice Sponso
Vult gravis esse Venus, 35 trabeasque immiscet amori A-

29 *Pandectæ* mascul. gen. subaudi libri, qui omne jus complectuntur, à πᾶν
 omne, & δέχομαι capio. Gell. *Sunt qui libros suos Pandectas, id est, omnium*
receptacula inscribunt. Budæus: *His Pandectis coagmentandis septem & triginta*
ICri symbola contulerunt, ex quorum verbis Digestorum velut Centones consar-
cinata sunt. 30 *Ida* Metonymice Venus, vide p. 213. n. 8. 31 *translatè amore*
capta est. 32 *Metaph. admittit amorem.* vide p. 18. n. 8. 33 *blanditiæ, adulationes.*
 v. p. 153. *. 34 *Tæda* accipitur pro nuptiis, sive pro ipso conjugio. Mos
 enim antiquorum erat ut in nuptiis faces & tædæ semper præirent, quod
 olim nunnisi per noctem nubentes ducebantur à Sponsis. Virg. *Si non pertasum*
thalami, tædaque fuisset. 35 *Trabea* sumitur h. l. pro nobilitate. v. p. 124. n. 53.

*Astræamque jocis: pariter concurrere honorum
Cernimus & lecti titulos, partesque Venustas
Et Doctrina suas obit. Exsplendescit utrinque
Scena thori, Cypridique suæ par 36 certat Adonis.*

*Affice quam claris Sponsus virtutibus annos
Præveniat, cujus facili perfusa severo
Leta verecundos aspergit gratia mores,
Priscaque simplicitas atque isto sanguine dignus
Candor, & ingenuo depicta modestia vultu:*

*Quem Musæ dixere suum felicis & acris
Judicii, Themis & sollertem rebus agendis.*

Hinc Genere & forma, studiisque & dote tumescens

*Anna micat, patriæ Sidus geniale juventa,
Inter Westmannas Veneres, Arbogidas inter
Gloria prima nurus, præsens quæ moribus ævum
Provocat, & sexum raro decoramine tollit,*

*Dum studet exemplis generosam vincere Matrem
Nobilis, & primam laudem probitate mereri.*

VOs adeo æquales Animæ, Par dulce procantum,

Consposti, invisis quos nunc Cytheræa catenis
Expedit in studium verè sapientis Amoris,

“Este pares, & ob hoc concordēs vivite, nam Vos,

“Et decus & virtus, & amor sociavit & ætas:.

Vos titulos laudesque Ambo confundite, donec

Posteritas sciat esse suas, doceatque Nepotes.

Vivite Felices, & tanta sorte beati

G g

Cre-

36 Certare jungitur tertio casui Græcorum more. Virg. *Montibus in nostris
solus tibi certet Amyntas.*



*Crescite in invidiam fati: non Vestra columbæ
 Murmura, non hederæ amplexus, non basia conchæ
 Exsuperent: vacuam curis differte senectam
 Longius, & Pylios perdurent oscula in annos.
 Sic faveat Venus, & Vestris virtutibus auctus
 A Vobis discat duplum sapuisse Cupido.*



ARCTOS EXSULTANS

AD

FOEDUS REGIUM

INTER

AUGUSTISSIMOS & POTENTISSIMOS SEPTENTRIONIS



AUSPICATISSIME INITUM

A:ō Sal. H. MDCCXXXIV.


SACRATISSIMIS CONFOEDERATIS

ANNO SUBSEQUENTI STRENÆ LOCO

SACRA,

SUBMISSISSIMO CALAMŌ

G. L.


 1 *Laudite confusi linguis 2 Paana Triones,*
Turba 2 Panomphaeum glacialis plaudite carmen,
Carmen in extremam fundens 4 Soterias, Thulen
Et cautes, Spitzberga, tuas, Heclæque ruinas
Grönlandosque sinus, quæ 6 Physeteres anbeli
Voluntur, miscentque truces connubia 6 Pristes.
In choreas amor unus agat Fennosque Gothosque
Totus & insolito dissultet 7 Sevo tumultu:
Communis Boreæ est plausus: non 8 decolor illum
 9 *Trangebar ignoret, non quæ venerabile nomen*
Arcturo patrio debet 10 Vesputia tellus.

Vicimus, & Borean uno defendimus ictu,
Ictu, quem tot Sceptra stupent mussantia rarum,
Seraque cum Svecis seruent in seculæ Cimbri:
Vicimus, Auroræque minas, Zephyrique Notique,

G g 2

Et

1 *Plaudere aliquem idem valet ac cum plausu laudare.* Statius:--- *non*
rotas victorem Castora gyro, Nec fratrem castu, ut rides, plausere Terapna.
 Virg. *Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.* 2 *Paan* hymnus erat
 in laudem Apollinis, qui non solum in aversione malorum decantabatur, sed etiam
 in victoria. Virg. --- *letumque choro Paana canentes.* Accipitur aliquando *Paan*
 pro ipso Apolline, ἀπὸ τῆς παλαιῆς, h. e. medendo. Juvenal. *Parce præcor Paan.*
 3 *Panomphaus*, Jovis Epitheton à πᾶν & ὀμφή vox, sive quod ad omni lin-
 gua colatur, sive quod omnium voces audiat. Ovid. *Ara Panomphao vetus est sa-*
crata Tonanti. 4 *Soteria* proprie dicuntur vota, sive sacrificia, quæ ob Prin-
 cipum & amicorum salutem Diis solvebantur. 5 vide p. 156. n. 11. 6 v p. 123. n. 46.
 7 *Sevo*, mons longissimo jugo Norvegiam à Svecia dirimens. Svehicè *Norssa Fiel-*
ten. 8 niger. 9 *Trangebar* seu *Crangavor* Castellum Danorum in sinu Gangetico.
 10 *America*, sic dicta ab *Americo Vesputio*, qui eam primus (puta conjunctem)
 detexit & ingressus est.

Et quicquid gentem vis 11 invidiosa 12 fabarum
 Cudit in agnatam, solers committere fratres,
 Inque sinu lentis tacito gaudere 13 duellis,
 Et toties nostro pingvescere foeta cruore,
 Prò pudor! augustis Jove vindice fregimus ausis.
 Nil actum! 14 cacoëthes hians, nil turpis hirudo,
 Nil livor 15 transversa tuens. ruat Eurus & Auster,
 Stabimus, & tumidos mundi 16 eluctabimur ætus
 Martia gens invicta malis: En Dextra Fidesque,
 En Fratrum sincerus Amor 17 conglutinat Arcton
 Fœdere non fluxo, cingitque tenacibus ulnis.
 Scilicet in patulo est, quicquid vis cudit operta,
 Ambitus atque minax: hebet imperiosa libido,
 Sub pedibusque jacet 18 sacrum horrendumque 19 bidental.

Sic erat in fati Aquilonem cernere nostris
 (Letitiæ illacrymo) felici fœdere junctum,
 Compositumque Polum conjuratumque Bœten:
 Sic boreos cœnisse Duces, studiisque 20 Quirites
 Collatis firmasse suos, causamque decentem
 Consiliis fulsisse cati & vindice dextra.
 Fortunata Dies, placidis quæ lenis ab astris
 Vexisti tacito tanta 21 Alcedonia nutu!

Te

11 invidiosus hiè agendi notione accipitur pro invidio, h. e. pro eo qui invidet. Ovid. Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas Omnia destruitis.
 12 in me cudetur hac faba. Terent. h. e. in me malum hoc recidet. 13 bellis. v. p. 141. n. 27. 14 translâtè libido dilatandi imperii, v. p. 46. n. 18. 15 in-transversum, obliquè. v. p. 30. n. 96. 16 tralatè superabimus ærumnas. Tacit. Locorum difficultates eluctatus. nives eluctari. idem. 17 Metaph. v. p. 120. n. 16. 18 execrandum. 19 v. p. 48. n. 50. 20 cives, subditos, v. p. 128. n. 9. 21 figuratè quietem tanquillitatem. vide p. 187. n. 61.

Te faciles risus, & amœni gaudia plausus,
 Te choreæ & cantus, casti & comitantur amores:
 Tu mala cuncta facis, totque exantlata laborum
 Agmina, & arumnas obliviscamur ut haustas:
 Tu consanguineo temeratas sanguine palmas
 Abluis, & diros in vivo fonte reatus:
 Auspice te priscum lati remeamus in aurum,
 Secula speramus jam deteriora nec illis,
 Lactentes lambendo Fides cum 22 fingeret Urfas,
 23 Lallaretque suis Concordia blanda gemellis.

Maecti animis REGES, vegrandia Nomina pulchris!
 Maecti consiliis in mutua commoda pronis!
 Quas Vobis non Vestra sonent patrimonia laudes?
 Quas grates non Balthis ovans 24 celeusmate festo?
 25 Alcides Vos nempe suos Geminosque vocabit
 26 Tyndaridas, dubios servantia sidera nautas.
 27 Isthmia quin Vobis saltatum littus utrumque
 Ducet, & unanimem certanda in júbila Sundam:
 Extruet atque aras, memorique in corde Colossos
 Eriget insignes, quæ secula longa refellent,
 Squalentemque situm, depascentesque 28 vapores.

Et Tu Codani 29 Cynea venerabilis Ostri,
 SEHESTEDIADES, cui tot patuere recessus

G g 3

Aula.

22 formaret. allusum ad partum Urfæ, de quo vide Plinium & Gellium. Sen-
 sus est: cum primi incolæ Scandinaviæ fidē & concordia adunati florere cœperint.
 23 v. p. 170. n. 61. 24 v. p. 100. n. 25. 25 patronym. Hercules, cujus avus erat
 Alcaeus. 26 Tyndaride sunt Castor & Pollux. v. p. 55. n. 22. 27 v. p. 129. n. 11.
 28 vapor pro calore, æstu. Virg. --- lentusque carinas Est vapor, & toto de-
 scendit corpore pestis. 29 Cynæus pro optimo Legato. v. p. 126. n. 21.

*Aularum Tripodumque sinus, spinosaque rerum
Atria, pollentis jam cujus ❶ glutine lingua
Concors Ursa coit, jurataque Nomina celo
Conciliant dias studia in consortia mentes,
Maeste Tua virtute, Heros, & grandibus ausis,
Hancque sacram peplo meritum Colophona Tuorum
Orbe probante dica, ❷ decimaque involvere laude
Gloria Danorum, Svecis & amabile Nomen.*

*I nunc immensos Babylonia turgida montes
Parturiens utrosque polos deglubere ❸ orexi:
Vixque tibi faciat tener in ientacula Cimber,
Prandia parva Sveo castratus, cætera cœnam.
Luderis illudens murem paritura pusillum,
Immemor illius, nutu qui fulmina torquet,
Qui sua disponit venerandis fata ❹ Tiaris,
Qui florem imperiis afflat, qui demetit isdem.
Ominor, Augustos cupiunt dum sidera salvos,
Et Boreæ stat certa fides sinceraque, nec te
Prandia, nec cœnam, nec te ientacula nostra
Delibasse sinet virtus aquilonia inultam.*

*Ergo animos causa iustisque doloribus icti
Ite, Duces Borei, vindictam sumere pulchram:
Ite, vocat Zephyrique favor, malè mundaque Balthis
Heu! Vestris purganda scopis: ❺ Tritonide concha*

Mon-

❶ translate pollenti svada, eloquio. ❷ decimus pro maximo. v. p. 174. n. 88.
❸ appetitu, malacia, quæ plerumque prægnantes laborant. Juvenal. --- hinc sur-
git orexis, Hinc stomacho bilis. ❹ Regnis, signum pro signato. vide p. 1. n. 6.
❺ classico, buccina Tritonis, id est, armatis classibus. vide p. 120. n. 18.

*Monstra fugate maris, tempestatemque minantem
 Portubus in ponto compefcite, avertite terrâ
 Dedecus, antiquoque falum defendite jure.
 Cernitis opprobrium dirumque ꝫ Caphârea Veftrum ?
 Ut fpoliis Veftris ebur infuperabile Tiphys
 Accola molitur, fruiturque Venedica Sidon
 Æqvore, nos mâcie? qvin evigilamus, & undas
 Illa Lycaoniis patrimonia avita Coronis
 Afferimus noftris lucrum indubitabile gazis.
 Exhaustum fatis ærumnæ. Jam forte neceffe eſt
 Migrare in ꝫ chlamydes, Boreanque inſcribere Marti.
 Ite, vorate moras, vocat Hesperus, annuit Eôs:
 Viſtula poſcit opem rerum vertigine anhelus,
 In Boreæ adventum myſtaxque Polonicus ardet:
 Et jam neſcio quid ſolito rubicundior album
 Sternuit omen agens lunatas Cynthia peltas,
 Liliger ille etiam Carolinis æmulus auſis,
 Credite, Borbonius, jam nunc qui pulcher ad altum
 Fulminat ꝫ Eridanum Juvenis, totisque fugatas
 Deturbat campis Aquilas, ꝫ gefumque coruſcum*

Ad

ꝫ Synecdochicè ſcopulos. Caphâreus, trifyll. penult. prod. Eubcæ promon-
 torium editiſſimum, ad quod Græcorum clafſis à Troja rediens Nauplii dolo ma-
 gnâ ex parte allifa naufragium tecit. Propert. *Saxa triumphales fregerè Caphârea
 puppes, Naufraga cum vaſto Gracia tracta ſalo eſt.* ꝫ id eſt, capere, induere
 arma. Vell. *Inducti infelix arma coacta dolor.* Chlamys, veſtis militaris. Virg. ---
 ipſe agmine Pallas In medio chlamyde & pictis conſpectus in armis. Plautus ad
 ornatum militis ait opus eſſe chlamyde, machara & petafò. ꝫ Eridanus five
 Padus, vulgò Po, fluvius in Italia nobilis, ꝫ telum Gallicum, Liv. *ſub laevo hu-
 mero ſummum pectus geſo ictum eſt.*

*Ad Rhenum Nicrumque rotat, 39ruet acrior inde
Communis præiens præsentior ultio cause.*

*Ast quo dilabor densos immissus in hostes
Pene dolore amens, odiis lymphatus & iris
Pacificum dicturus opus, pactumque Leonum
Grande Gothunnorum? rape devia, fallere, retro
Musa pedem, ne te *Climeneius hauriat æstus.*

*Pergite Par Sacrum, Decora immortalia Regum,
Fœdus inoffensos augustum ducere in actus,
Thesæamque fidem cupidis ostendere Regnis.*

*Quantum odiis quondam, tantum certetis amore
Alterutrâ studiisque piis; sint una duobus
Et velle & ratio, labor unus idemque periculum,*

*Una quies: socias religet Concordia gentes,
Martia quas virtus, genus &, vicinia, & ætas
Religioque ligat: dirimat non turbidus illam*

*Excusor 40 Catilina novi, non æmula laudis
Vis, nec communi cum sese ostendet in hoste,
Non mala suspicio, non tristis adurat 41 Erinmys.*

*Vindice sic Cælo Vestris juvenescat habenis
Ursa, & adoratas longa 42 Halcyonæa Tiaras*

*Allambant, canosque sacros colat imbribus 43 Hebe
Florens ambrosiis immortalique amarantho.*


Libera sic Jano 44 vernante repullet ætas

39 Ruere efficaciter de illis dicitur, qui cum vi & singulati celeritate omnia agunt in bello. v. p. 75. n. 29. * id est, temerarius ardor, qui Phaëthontem Climenes filium absorpsit, 40 v. p. 48. n. 49. 41 Erinmys, una Furiarum, ita dicta ab ἐρινύω, indignari & magnopere commoveri. Virg. --- quo tristis Erinmys, Quo fremitus vocat. 42 vide supra Alcedonia, 43 Hebe Dea juventutis. v. p. 131. n. 31. 44 id est, hoc ineunte anno.

(45 Clufius an dici malitne 45 Patulcius idem)
46 Andromedæ, magnum resonanteque Perfea Balthi
Infignem Auguftis portendat 47 Signifer annum.

45 vide p.75. n.26. 46 allegoricè Scandinaviæ inter facrum & saxum ftanti, allufum ad fabulam *Andromeda*, quam *Perfeus* (copulo à Nereidibus alligatam, ceteroque expositam liberavit, & duxit, ob quam pietatem inter fidera relatus est. 47 *Zodiacus*, Svethicè *Diurfref*, in quo duodecim figna apparent, quæ animarum figuris imaginantur Aftrologi.

Sunt *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*,
Libraque, *Scorpius*, *Arcitenens*, *Caper*, *Amphora*, *Pifces*.



IN ADVENTUM

ABLEGATI EXTRA ORDINARIII
PRÆFULGIDÆ PORTÆ OTTOMANNICÆ

DEFTERDAR ZAID MEHMED EFFENDI

GRATULATIO. 1733.



*Q*uæ erat in fati 1 *Hyperiona* visere nostrum
Bis, *Thrax* Luna, tuis: sic toto diffita cælo
Signa sequens traberis 2 *Fraterna* dotis honore
Quantumvis longinqua *Soror*: magnetis & instar
Quæris in extremo placituram *Aquilone* quietem.
3 *Strymona* sic patrium *Melero*, sic *Balthide* Pontum

H b

Mi-

1 Solem. 2 Luna enim suum lumen recipit à fratre Apolline *Hyperionis* & *Matris* magna filio. 3 fluvius *Macedoniam* à *Thracia* dirimens.

Miscens, 4 crucigera mussante Viragine, dicti
5 Majugena claro transmittis fœderis arrham.
Non hæc cæcus agit nova, nec fas credere casus,
Dicere fœta boni quid parturit æthra, nec ausim.
Scilicet arcanum jam tum 6 suspirat amorem
Mens tua, Svecorum tacitè 7 rimantur & ausus
Lumina, cum tantis adsvescens vultibus olim,
Vultibus hinc ferro hinc 8 flammanti indagine cinctis,
Non fractis tamen, instantis non turbine mortis,
Prændisti mortale nihil, famamque stetisse
Præsenti Boreæ longè virtute minorem.
Hinc amor & studium puta & admiratio gentis,
Hinc gliscit pietas tantos miserata labores.
Quod CAROLUM fido fovit 9 Demotica Magnum
Amplexu, in celebres gravis atque incanduit iras
10 Stambol, & 11 Achmêtis pulchrè rubicunda bipennis:
Ausa scelus nequam quod 12 Bendera vapulat, atque
Dedecus hospitii luit indelebile Niefter:
Quod caput exertat Libertas saucia langvens,
Sumit & exhaustas, Aurora vindice, vires.

Sunt

4 id est, Europa, cujus symbolum crux Christi est, dubitante, quid hoc
 monstri alat. 5 pro Legato. propriè Mercurius dicitur, quem Juppiter ex Maja ge-
 nuit. Virg. *Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja Cyllenes gelido con-*
ceptum vertice fudit. 6 desiderat. Tibull. *Quod si forte alios jam nunc su-*
spirat amores. Ovid. *Hanc cupit, hanc optat, solam suspirat in illam.* 7 explo-
 rant, scrutantur. vide p. 87. n. 49. 8 Metaph. v. p. 65. n. 22. 9 v. p. 69. n. 63. 10
 Constantinopolis. 11 Turcici Imperatoris, 12 v. p. 67. n. 32.

*Sunt manifesta tui, quis nescit, signa favoris,
Signa 13 resurgentem Didonis olentia Trojam.*

*Tuque aded Getici 14 Cynea generosior Ostri,
Et Musulmannæ Prælustris Purpura gentis,
15 Ter diademato Boreæ qui pandere Portam
Impiger Osmanam gestis, quâ maximus ille
16 Induperatorum longè latèque tremendi
Imperii fulmen 7 trifidum jaculatur in orbem,
Et maria & terras immensa mole fatigat.
Huc ades, & dextris 18 Melerinam Sidona tange
Alitibus, rutili centumque tonitribus æris
19 Plausè latus fide felix allabere ripæ
Hospes 20! Gothicamque bea pollutibus Aulam
Alloquiis, Hebrumque proba borealibus haustis
Non nocuisse tuum, vel queis riget 20 Ismarus ater,
Nonnisi 21 turgentes in pocula 22 Partha cicutas.*

H b 2

Huc

13 h. e. paria liberalitati & beneficentiæ Didonis, quæ Æneam cum sociis dirutâ Troja benigniter hospitio excepit, spemque dedit resurgendi imperii Trojani Virg. --- sedes ubi fata quietas Ostendunt illic fas regna resurgere Troja. Idem de Didone: O sola infandos Troja miserata labores. 14 Synecdochicè Legate v. p. 120. n. 21. 15 id est, Sveciæ trium regnorum. 16 Impetatorum. Juvenal. *Qvales tunc epulas ipsum glutisse putamus Induperatorem.* 17 trifidus propriè orbis terræ epitheton est, qui in tres divisus est partes, scil. in Europam, Asiam & Africam. 18 Holmiam ad Melerum negotiationibus Sidoni Phœnicæ non cessuram. 19 plausus passivè. Cic. *populum vero præclarum, quod propter malum vicinum ne victoria quidem plauditur*, i. e. plausu excipitur. Ovid. *Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum.* 20 mons Thraciæ asper & incultus ex una partè, ex alia fertilis vinctis & olivetis, quem Orpheus incoluit. Virg. *Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea.* 21 Veneno inflatas. Virg. *Qualis ubi in lucem cuber mala gramina pastus, frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat.* 22 Persica.

Huc securus ades: primus pia littora tange,
 Littora 23 stentoreis Salve resonantia votis.
 Non heic bella times, fera non 24 spelæa latronum
 Insidiata viis, pridem feralis 25 Enyo
 Ejurata tulit secum genus omne nefandi.
 Aspice quam sancta vernet Respublica pace,
 Aspice pacatas, FRIDERICO Vindice, gentes:
 Quicquid in Hebræo celebrat Salomone vetustas,
 Inque Themistocle Graii: quod Pella triumphans
 Jactitat & Latium: quicquid 26 Diadema Boote
 Augustum tenuit, jam felix possidet Urbs.
 Non heic non demens tetrum Discordia schisma
 Fabricat, atque leves rapit in contraria mentes.
 Aspice quam lætis coëant amplexibus, illo
 Directore ratis boreæ, Pietasque Fidesque,
 Et Themis & rosea gremium circumdata palla
 Relligio: frontes ad mutua fœdera jungunt
 Cura vigil, clemensque animus: Prudentia sedem
 Figit, & in Sveca canos sibi somniat Aula.

Vos o! purpurei, Patriæ Cynosura, 27 Gabini,
 Velleris aurati Herôes: Tu Sedis eburnæ
 Grande Ministerium, Sobolesque erecta Gradivi,
 Hospi-

23 pro maximis. v. p. 129. n. 16. 24 speluncas. Virg. Certum est in silvis in-
 ter spelæa ferarum malle pati. 25 bellona. 26 regnum Svecke. 27 Metonymicè
 Proceres cincti Gabino induti. Gabinus cinctus, toga erat sic in tergum rejecta,
 ut una ejus lacinia revocata hominem cingeret, quo vestimenti genere utebatur Con-
 sul bella indicturus. Virg. Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino. Insignis referat
 stridentia limina Consul. Mos ortus à Gabiis, qui fraude Sexti Targynii superbi
 filii in Romanorum ditionem redacti sunt.

Hospitis adventum magni gratamini, & omne
 Ostentate decus, juvet & grandescere pompam:
 Excipite Æmonium 28 Narsen, qui voce rotunda,
 Legatorum inter spinas cinerique tepenti
 Suppositum passim 29 Vulcanum, & 30 lubrica eundum,
 Explicat ingenii vires sedatus, & omnem
 Nestora prægressus Septem veneranda Trioni
 Auroræ Secreta feret, Portamque per Ortus
 Compositum sataget blandè invitasse Leonem,
 Et sacram sanxisse fidem, quam lividus olim
 Non probet 31 Ucalegon fauces delusus hiantes.

Fallimur an 32 bimarem persultant Najades 32 Agnen,
 Fervet & innocuo 33 Birgera Virago tumultu.
 Compita densantur numerosis singula turmis:
 Pulverulenta ruunt pilenta, petorita, currus.
 Obnubuntque diem: librantur penè fenestris
 Seminurus vix parte sui potiore videnda:
 Fervet iter studio cursantum & sæpè rogantum,
 Obviaque hinc surgunt atque hinc in prælia voces:
 Ponderibus nutant pontes, gemit ima crepido,
 Tantaque vix minimam capiunt navalia nubem:
 Insonuere tubæ, fortis ferit athera clangor:
 Tergæ bonum reboant: lituis flat tibia mistis.

H b 3


Ter-

28 vide pag. 130. n. 23. 29 ignem. 30 adverbialiter pro lubricè, i. e. astute;
 callide. Virg. Nequicquam patrias tentasti lubricis artes. 31 per Antonomasiam
 vicinus. Ceterum Ucalegon erat unus ex Trojanis Proceribus, qui belli tempore,
 quod annis confectus esset, prælio abstinuit. Virg. --- jam proximus ardet Ucalegon.
 Quo in loco domini nomen Metonymice pro ipsis ædibus posuit. 32 id est, Hol-
 miam, quæ utrinque Mælero alluitur. V. p. 130. n. 24. 33 Holmia sic dicta à Birgero
 Jarl Administratore Regni, qui ejus fundamenta jecit A:o 1252.

*Hinc vigil 34 Ignipotens succendit sulphure Castrum,
 Hospitem & arisona venientem voce salutat:
 Hinc bellatrices, Neptunia fulmina, pappes
 Insanire jubet flammis, letoque tonitru
 Fulgida Hyperboreos jaectare ad sidera plausus.*

*Sic accepta subi Boream 35 Rhodopeia Pitho,
 En titulis assurge tuis, agnosce favorem
 Gratus, & illustris tibi quos decernit honores
 Aula, nec ingenua fastidi mente poetam.
 Sic tua te 36 Phoebe 37 Cynean, sic Thracia dicet
 Orphea, & utilitas socio comes ibit honori:
 Svecia sic pulchros commendet amica labores,
 Fidaque conjunctis subscribat Gallia votis:
 Sic unum coeant cor Lilia, Luna, Leones.*

34 Vulcanus. 35 Svada Turcica. 36 Luna. 37 vide supra.



IN POËMATA
 DN. SECRETARII
JACOBI FRESE

ELEGIA, 1726.

Accipe praestantis specimen grave, Patria, Ephebi,
 Dignaque compositae pignora mentis ama.
 Sit satis i externis aures donasse i cicadis:
 Sufficiant canus, Galle superbe, tui: Plus

I exoticis poetis. Metaph. hinc adagium: τέτλιγος ἐν Φωρότερος, cicada vo-
 callor. Dici solitum in hominem impendio garrulum, aut admodum musicum: pro-
 pterea quod hoc insectum rore duntaxat vivens, cantu potissimum delectetur.

Plus satis in pretio fuit hæcenus advens Pallas;
 Sorduit econtra Gratia nata domi.
 Disce peregrinæ fastum contemnere Musa:
 Florida deliciis gaudet & Ursa suis,
 Ausa suum cunctis Heliconem opponere terris
 Ingenio vatum carminibusque parem.
 Ecce! tuas jam nunc forti clangore Camænas
 Erigit ad Meleri littora tersus 2 Olor,
 FRESE decus vatum, quo vindice 3 Cirrha resurgit
 3 Parrhæsis, & Gothici carminis extat apex:
 FRESE replet vatem, patrioque à sidere robur
 Concipit, & pergit nil nisi grande loqui.
 Seu memor ad cunas, indignaque funera JESU
 4 Regis ad exemplum flebile pulsat 5 ebur:
 Tristia seu metris recidivi tædia lecti
 Frangit, & 6 æternum spe levat eger 6 onus,
 Agnoscit sese Pietas, & spectat in illis
 Eloquiumque operis materiemque sui.
 Seu Sveones fama, 7 Gothicumque ostentat 7 Achillem,
 Mirantur 8 numeros Mars & Apollo 8 mares.
 Seu miscet tumulis thalamos, funesta serenis,
 Respondet genio littera quæque suo.
 Non sua 9 ventosa venalis carmina ab 9 aura
 Librat, & ex pretio versat utrinque chelyn;
 Fastidit, quâ Naso suam levis inficit, artem,
 Rarior & juvenis nil juvenile sapit:

Ince-

2 translate poeta, v. p. 14. n. 39. 3 id est, Pœsis Syethica. v. p. 96. n. 23. 4
 Davidis Psalmistæ. 5 plectrum. Meton. 6 insanabilem morbum. 7 CAROLUM XII.
 8 mafculum, sublime poëma. 9 id est, non poësi sua favori inservit lucri causa.

*Incedit rectâ probitas, & scriptor honesti
 Virtutes inter scribitur ipse suas.
 Phœbe pater vatum, Vati sua robora dona,
 Et præsens dubijs suggerere 10 moly malis.
 Redde sibi nostrum Parca ringente Columbum,
 Continuetque suum fac citò Kingo decus.
 Laudibus hoc vatum præcelsior omnibus unus,
 Dignior & longa consenuisse die,
 Quo cælum jungit terris, & flectit iisdem
 Inde homines metris, hinc pietate Deum.*

10 *Moly*, herba est Homeri carmine celeberrima. Plin. laudatissima herba-
 sum est, Homero teste, quam à Diis vocari putat *moly*, & inventionem ejus
 Mercurio assignat, contraque summa veneficia demonstrat. Nomen habere putatur
 παρὰ τὸ μολύβειν τὰς νόσους.

IN

DISPUTATIONEM ANTI-HOBBIANAM,

Politissimi Doctissimique Viri Juvenis

DN.

BARTHOLDI HEDMAN.

1719.

Impia mordaci dum dogmata stringit aceto,
 Justaque monstrosum spongia delet opus:
 Jamque suum terris decus asserit acer & astris,
 Et Superùm zelo fervidiore calet
 HEDMANNUS, rigida fatorum lege Quiritem
 Expedit, infanda materique Deum.

Æstuat

*Æstuat hinc Stygiis ictus Leviathan in undis,
Dum i vapidum sorbent tela cruenta jecur,
Succubat illisa Malmsburgica bellua fauce
Hobbius, & Tamesi vix levat Hydra caput.*

*Audiet HEDMANNOS Vaninus turpior ausus,
Audiet & socii fata sinistra sui.*

*Vix dubius mentis Spinozæ fidet Achati;
Parkeros Sala parturiente novos.*

*Maecte, HEDMANNE, Tua virtute, nitentius 2 Auræ
O! Decus, & cordis quanta favilla mei!*

*Fallor: an adserpunt cinctura tempora lauri,
Et pugilem veri digna brabæa manent?*

*Ultra tibi debent Tellus, Respublica, Civis,
Et calamo vincis astra verenda tuo.*

*Vera loqui vel tiro potest; sed ab hoste tueri
Unius 3 infracti militis esse puta.*

1 *vapidum pectus* per translationem. Persius: *Sin in quum fueris nostra paulo ante farina, Pelliculam veterem retines, & fronte politus Astuciam vapidam servas sub pectore vulpem*, id est, veterum vitiorum pleno, & pristinas fraudes redolente. 2 *Aura* fluvius Aboam dividens. 3 *Infractus* usu recentiorum pro minime fractus, vide pag. 80. n. 81.

JUVENI

Morum atque doctrinæ elegantia Conspicuo,

**D^N. HENRICO JOH.
CARLBORG,**

De CERVIS egregiè differenti. 1718.

DUm patriam carosque furens Bellona penates
 Lancinat, & mediis reboant cava tympana portis:
 Ossibus hîc calcatus ager dum candet, & illic
 Ingeniosa 1 calent cultro tormenta vel igne,
 Aspera tu placido, CARLBORGI, funera Phæbo
 Securus sopita cupis, tantisque labantem
 Mentem pæne malis sacro munimine fultam:
 Pallas amor tuus est, faciles solatia Musa.
 Sic patriæ superesse juvat te 2 Trôa beatum,
 Infractamque ratem Zephyris servasse secundis.
 Audiet à teneris sperni sua spicula Musis
 3 Odrysius, calamosque leves insurgere ferro,
 Audiet, & posito mox bella cruenta furore
 Ejurabit amans pacis, fastidiet atque
 Passim purpureo stagnantes æquore campos.
 Dumque suum dediscet opus, melioribus ausis
 Discet Apollineis tecum certare sagittis,
 Claudere & umbrosos 4 maculosa indagine saltus.
 Fallor an in fibras jam nunc venatica Circe
 Transit, & totum silvestris cepit Enyo?
 Fertur in immodicum, fusisque exundat habenis
 Fervidus 5 Actæon, festivaque prælia spirat,
 Pervigili canibus captantibus omina rostro.
 Levia saxa sonant: fruticeta trementia latè
 Rumpuntur, circum concussaque 6 Menala plangunt.

Jam-

1 fervent, id est, continuantur. Metaph. 2 Aneam Trojanum, qui cum pau-
 cis è manibus hostium evasit. 3 Thracius [Mars. 4 maculosa indago quid sit,
 liquet pag. 24. n. 89. 5 Venator. vide pag. 24. n. 87. 6 vide p. 23. n. 86.

*Jamque per ambages Cervus latratibus actus
 Pene volat, 6 ventis etiam post terga relictis:
 Terga pavore madent, siccamque per aëra linguam
 Exsertus gemit, atque sitim ter 7 Vatis anbeli
 Ponderat, & vivas clamore efflagitat undas.
 Sed jam præda cadet. 8 Leucon hic candidus arctè
 Colla premit, nigrans illic petit 8 Asbolus ingven.
 Nunc juvat ex ungui transmissos discere soles,
 Cornua nunc altis mirari 9 æquantia fagos.
 10 Thestylis & 11 Mopsus prædonem messis abactum
 Auspice te pœnas gaudent solvisse decentes:
 Respirat placata Ceres, justamque Dianam
 Terque quaterque salutat ovans jam corde litato.
 Quo feror? en! crudas redolent mea carmina silvas,
 Lustra que jam per opaca rapit me devius error.
 Desino. Macte tua virtute & fortibus ausis,
 CARLBORGI, calamoque potens & Apollinis arcu.
 Auguror en! duplici quoniam ratione probaris,
 Hinc duplex te lambet honos, cum quercea fronti
 Serta tuæ 12 Dietyнна ligat, mox laurea Pallas.*

* * *

* * *

* * *

VIRO

6 Hyperbole. 7 anxii Davidis. allusum ad Psalm. 42. v. 1. 2. 8 nomina ca-
 num Actæonis. *Leucon* à λεύκος album, *Asbolus* fuliginem denotat. Ovid. Metam.
Et niveis Leucon, & villis Asbolus atris. 9 Hyperbolicè. 10 mulieris rustica
 nomen apud Theocritum & Virgilium: *Thestylis & rapido fessis messoribus est,*
Allia serpillumque herbas contundit olentes. 11 Pastor Virgilianus. 12 *Dietyнна*,
 alio nomine *Britomartis*, Joyis & Charmes filia, Dianæ in primis chara. Quidam
Dietynnam Dianamque eandem esse existimant. sic appellata ἀπὸ τῶν δικτύων,
 h. e. à retibus, quorum usum in venatione traditur invenisse.

VIRO CLARISSIMO

D^N. NICOLAO DAHL,Cum b. m. Doct. JOH. LOCCENII Antiquitates
Regnorum Sveciæ Gothiæque in Svethicum con-
versas sermonem publici juris fecisset. 1728.

Vicimus, & pulchro patriam defendimus ausu,
Vicimus, & domitas boreæ discussimus umbras,
Abstrusumque diem fuscato i fregimus axe:

Nobiliora novis adolescunt secula fastis,
Cana repurgato juvenescit & 2Ursa veterno,
Quique rigens squamæ tot brumæ dormit isdem,
Vere novo brutam ponit cum pelle senectam
Anguis, agitque suum 3juveni jam veste volumen.
Scilicet antiquum titulis sublimibus ævum
Pullulat, atque nova Japetus lampade cinctus
Gestit, & emeritus salit ad cunabula Magog:
Imperii redeunt tot fasces, signa secures,
Diffundit cum sole decus diadema per orbem:
Ingreditur veteres regalis 4 adorea frontes,
Atque triumphales repetunt sua tempora lauri.
Efficat hæc tradux animosi pectoris Orpheus
Scandicus, & fortis Gothicarum buccina laudum,
Ille vetustatis Vindex Lucernaque nostræ,

Histo-

1 simplex pro compos. effregimus, eliciuntis, h. e. vindicavimus ab interitu
antiquitates nostras situ & injuria temporum pæne exesas. 2 Scandinavia. 3 pro
juvenili. Ovid. --- & admonitus juvenes nutricibus annos Posse suis reddi.
4 gloria. vide p. 130. n. 20.

*Historiaque Pater patriæ Loccenius ingens,
 Quo genio cautes, & mortua saxa subinde
 Edidicere loqui, longosque oblita per annos
 Runica semotis ostendere sigmata Regnis.
 Ipsa innixa throno stupefacta quiescit eburno
 Tot rerum Natura parens, neglectaque retro
 Lumina torquet anus, tanto gavisa Nepote
 Quilibet exactis astringi secula fastis,
 Tot numerum elapsos pulchrè procedere soles:
 Vegrandes memorari Abavos, totique tremendos
 Europæ Libyæque duces, ingentibus ausis
 Mille triumphato tolli diademata mundo.
 Omnia cum placeant, civis desiderat unum:
 Historicum sexutum non notæ 6 sindona Romæ
 In patria nituisse toga, Proavumque labores
 Matre celebratos verti in sua commoda lingua.
 Opportunus adest cantati Nominis 7 Hermes
 DAHLIUS, & tantis 8 avis exiliisse favillis
 Digna, redonatum qui multa luce volumen,
 Jam pridem solis devotum 9 Clivus alumnis
 Palladium, Archivi penetrabilibus atque repòstum*

I i 3

Auget,

§ Metaphora. sensus est: vulgus latini sermonis ignarum exoptat Historiam
 Sveo-Gothicam in patriam linguam converti. 6 *Sindon*, amictus ex lineo Ægy-
 ptiacò atro contrà æstimatus: inde, ut creditur, nomen habens, quòd primum in
 Sidone urbe inventus sit, ob id *Tyria Sindon* à Martiale Dicta: *Ridebis ventos*
hoc munere tectus & imbres, Nec sic in Tyria Sindone tutus eris. 7 id est, in-
 terpres. sic dictus Mercurius à Græcis ἀπὸ τῆς ἐρμηνείας, à sermone, quòd nun-
 tius & interpres Deorum habitus sit. Virg. *Nunc etiam interpres Divum Jove*
missus ab alto. 8 allusum ad Phœnicem. 9 *Clio* ἀπὸ τῆς κλίσης, i. e. gloria,
 quòd poëtis gloria ex carmine nascatur. vide p. 30, n. 83.

Auget, & in 10 Melerum felici traduce 10 Tibri
 Mutato patriæ communes prodit in usus.
 O! facinus dignum concive, O! forte periculum,
 Posthuma quod cantet, sileat nec Svecia præsens.
 Est aliquid crudus, servato cive, triumphus,
 Et debellato frons sanguinolenta Gradivo;
 Plus tamen est cæcas ævi referare tenebras,
 Crassum & inborrescens Chaos edomuisse, relapsum
 Restaurare decus patriæ seclique ruinas:
 Reddere depositum lethi, prosternere 11 Ditis
 Imperia, & rigidi perfringere claustra sepulcri:
 Totque paludatùm prælustria fulmina Regum
 Restituisse sibi, quæ mordax 12 sorpsèrat etas,
 Vindice & æternis celamo committere cedris.
 Perge Decus nostrum, paribus contendere curis
 Indelassatum, Clio famulante, cerebrum
 Natali impendisse solo, quod proderit olim.
 Ecce triumphales 13 querna de fronde corollas
 Publicus aptat amor Tibi, gratæ pignora mentis,
 Et conjurati donant suffragia cives.
 Cætera cum numerus nos & sumus, optime DAHLI,
 Latus habe & nostræ trivialia munera Musæ,
 Nec fastidito, pietas quem jussit egea
 Exuccum viridi pro ramo tradere truncum,

* * *

* * *

* * *

IN

10 h. e. converso sermone latino in Syethicum. 11 Plutonis, id est, mor-
 tis, vide pag. 219. n. 1. 12 pro absorpsèrat, consumserat, 13 vide p. 133. n. 40.



IN EFFIGIEM

DN. SECRETARII

JOHANNIS RUNII,

Poëtae suæ ætatis in Patria facile principis.

1733.

E Micat è rigido frons delectabilis ære,
 Numina quæ potuit detinuisse novem.
 Vindicias heic cerne tui, mirare, Poësis,
 Et decus & genium, Svada, verère tuum.
 Desperat Natura parem genuisse sub Arcto,
 Unus ut heic punctum RUNIUS omne tulit.



DISTICHA

QVÆDAM MORALIA

In usum

STUDIOSE JUVENTUTIS

LATINITATE DONATA.

1732.

Prima

Prima Creatori deberi liba memento;
Cultum jure Deus soli sibi vindicat omnem.

Auspice consilio tua cæpta viriliter aude;
Nobile consilium res & fortuna sequuntur.

Peste sodalitium nequam fuge pejus & angve;
Exhorret tangi generosa libidine virtus.

Fortuna ridente cave 1 sustollere cristas:
Desinit in subitum 2 bullata superbia casum.

Consule consultos, stulti ne tædeat actus;
Stultitiæ jugis comes est turpissimus error.

Convictus variam noli protendere litem;
Consopita vagam sopit scintillula flammam.

Disce docendus adhuc monitis attentus honestis;
Ipse sua doctus censura novit & uti.

Parce nimis sapiens tibimet sciolusque videri;
Nil gravius vano tumida phantasmate mentis.

Finge tibi linguam personæ cuilibet equam;
Pro fundi ratione rati dat 3suppara rector.

Fac verbis factisque tuis sis unus & idem;
Dulce pluens mulsum meditatur lingua venenum.

Paeta

1 Metaphoricè insolescere. 2 translate inflata, inanis. Persius: *Non equidem hoc studeo bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat.* 3 suppara sunt summa vela, quæ ceteris annectuntur, & quæ super antennis explicantur. Lucan: ---

Bif Skaparen hwad honom bör;
Glöm en at Ibran GUD tilhör.

Begyn dit wärck med mogit Råd;
Godt Råd är Lyckans förebåd.

Se til du wanstrågt sällskap styr;
Ty Dygden snöda lustar styr.

Högmodas en af Lyckans dehl;
På högmod följer fall och fehl.

Med andras råd dit råd beslut;
Ensinigt råd förs galet ut.

Gif efter, när din talan jäfs;
Ty elden släcks, då gnistan qwäfs.

Gif acht på hwad man lärer dig;
Den wijs är, wet ock rätta sig.

Begiär en synas alt för flof;
Inbillat wett beswärligt of.

Dit tal du jänka til hvars pund;
Man seglar som man finner grund.

War tilförlätlig i din ord;
De hala tungor dölja mord.

K k

Dit

*Facta fidem servant, promissis stare labora;
Quæ temerat frangitque fidem, mens omnia frangit.*

*Ne temerè quicquam promittas, usque caveto;
Munera non rectè, quorum post pœnitet, offers.*

*Et sale amicitiam comique asperge lepore;
Blanda pio facilem dicitur clementia legem.*

*Quos sua fata premunt, fer opem sed sponte misellis;
Gratia prona juvat, nequit arridere coacta.*

*Officio fac parvus agas, abjectior at non;
Moribus excultis suffragia singula plaudunt.*

*Nil temerè statuas, cecos nec agaris in actus;
Facta semel fieri posthac infecta recusant.*

*Parce verecundo iudex sua crimina fasso;
Nequitiam fas est sceleratas sumere pœnas.*

*Principibus moderata viris reverentia constet;
Rus sapit insulsum stultè pudor usque remissus.*

*Sit tibi sinceri jugis curæ usus amici;
Involvit temerata fides quæcunque ruina.*

*Litis amans caros noli committere fratres;
Compositæ mentes sibimet sine lege quiescunt.*

*Parce opus in quodvis petulantem immittere 4 limam;
Proximus ipse tibi es, tua quem censura notabit.*

Dissi-

4 figuratè censuram, castigationem. Ovid. Scilicet incipiam lima mordacius
uti, Ut sub iudicium singula verba vocem, Idem: defuit & scriptis ultima lima
meis,

Dit löfte du obrotsligt halt;
Den trohet bryter, bryter alt.
En låsma något obetänckt;
Med ånger har man illa skänckt.
Din wänskap blanda med behag;
En mildhet är den frommas lag.
Med willighet dig hielpsam te;
All gunst bör utan twärhet stie.
Dig ringa, dock en nedrig wis;
Up-ösde Seber winna pris.
Beslut en något oförsedt;
Det ändras sent, som en gång stiebt.
I dom den blödas brist förlåt;
Ut skona arghet är en åt.
En måttlig blygd för Höga bår;
Enfaldig wördnad dårskap är.
War om din Wäppers wänskap hull;
En falskhet fastar alt omfull.
I tråtor en din Nästa drag;
De spaka samsas utan Lag.
Låt andras wärde din dom undgå;
Dig är du närmst at tadla på.

Disſimulare tuos diſcās, monet uſus, & auſus;
Tutò ꝯ habitat ſecum Prudentia neſcia prodi.

Inſaturabilibus ne mentem inſige lucellis;
Qui modicis contentus agit, ditescit in horas.

Premia penſurus meritis ne contrabe clavam;
6 Diribitor qualis, talis merx quemque decebit.

Ne rem dilapides donandi ꝯ multa profuſus;
Vita ſui ſecura furor temerarius audit.

Felix quem faciunt aliena incommoda triſtem;
Quem miſeri miſeret, miſerandus & ipſe miſellus.

Fide ſed inſpecti tutò candoris amico;
Cui manſit ſervata fides, ſervetur & ipſi.

Undantes inhibe turbati pectoris ꝯ æſtus;
9 Spinea contactam depaſcunt tedia mentem.

Ne crimen tranſcribe foràs, quod prænditur intus;
Quilibet ipſe ſuum tollat, plectatur & auctor.

Pace ſimultatum furias & caſtra refræna;
Alma decet ſanctos Chriſti concordia fratres.

Semper ad officium ſis & benefacta citatus;
Nescit amor pietasque modum: ſis totus in illis.

Utere ſed parca ꝯ leve lapſum bile in amicum;
Lenis amat levioꝝ nota reſpiſcere virius.

Mune-

ꝯ *Tecum habita*, proverbii ſpeciem habet, pro domi tuæ habita, & tuo te pede metire. Perſius: *Tecum habita, ut noris quam ſit tibi curta ſupellex,*

Din anslag bölg förfichtelig;
De floka råd en röija sig.

Vå ocker en dit sinne fåst;
En skialig winning ricktar måst.

I din belöning runder war;
Man lönar, som man hedren har.

Förtag dig en på dit förråd;
Förflösa är ett öfwerdåd.

Låt andras motgång gå dig när;
Den ynkas, som ock ynka bär.

Förtro dig dinom trogna wän;
De trogna få sin tro igen.

Betäm dit rörda sinnes agg;
Förtret är hiertats törne - tagg.

Din fel en ann en skylla på;
Ho felar bör ock straffet få.

Där split regeerar, främja fred;
En sämja är en Christlig sed.

War alltid redo göra godt;
För kärlek sättes aldrig mått.

Bestraffa swaghets fel med fog;
Af lindrig näpft har Dygden nog.

Edr

*Disce sales tristi faciles discernere 11 aceto;
Sponte jocosâ jocis, sale sal sine 12 felle liqvescunt.*

*Cuique suus tribuatur honos pro munere, par est;
Turpe homini est hominem naso suspendere adunco.*

*Singula, ut ostendet se, qui metit, exue Momum;
Perditur ipsa sibi petulantia plena pudoris.*

*Ne tua, si qua sient, merita exprobraveris ulli;
Langvet honos meriti gliscente 13 petigine laudis.*

*Munere adorandas muto provolvere ad aras;
Dissimulanter amant munusque manusque recludi.*

*Parce verecundis aurem obturare querelis;
Sponte sua quemvis miseri miserescere par est.*

*Coge aliquando manus patuisse, triparce, 14 tenaces;
14 Euclio servat opes, sed cui sub iudice lis est.*

*Surripe nascenti feralia pabula bili;
Mens generosa capit faciles ex tempore motus.*

*Summum pone nefas absentem rodere quemquam;
Acria posticam comitantur jurgia sannam.*

Imme-

11 acetum translato pro mordacitate aliquando sumitur. Horat. *At Græcus postquam est Italo perfusus aceto Persius exclamat.* 12 Fel, quod sit amarissimus humor, pro animi amaritudine ponitur. Plaut. *In melle sunt lingua sita vestra atque orationes; corda in felle sunt sita, atque acerbo aceto.* Ovid. *Candidus à salibus suffusus felle refugit.* 13 Per Metaphoram ambitio, laudis cupiditas. *Petigo*

Lär höfviskt skämt och tal förstå;
Med skämt man skämt kan undgå.

Gif hvar sin heder i sit Kall;
Slätt ingen man förachta skall.

Ey tabla til at wisa dig;
En kitslig klockhet skämmer sig.

Förwita ey den du gjordt godt;
Ho gnagar, har nog ränta fått.

Din gåswo hemligt öftra wet;
Til offer wil förtegenhet.

Låt ey en blygsam fattig be;
Barmhertighet bör willigt stie.

War gismild i din sparsamhet;
För hwem man giommer, man ey wet.

En wårand' wrede förefom;
Ho rättstint, byter sinnet om.

Förtal' ey den frånwarand' är;
Ey bak-tal til-tal återbår.

Lägg

proprie morbi genus est; qui & *impetigo* dicitur; quod vicina petat, sese late summa cute diffundens. Occupat plerumque totum vultum oculis exceptis. 14 *Euclio*; senex apud *Plautum* tenacissimus. Nam id demum *lepidum* est triparcos homines; *vetulos*; *avidos*; *aridos* bene admordere.

*Immemorem meritum mentem ingrataque recusa;
Plus nocuisse valent semiti puta amore dolores.*

*Exhilara frontem, talos fors leta rotabit;
Triste supercilium rugosaque tadia perdent.*

*Parca virum, sed culta decet graviorque loquela;
Neqvitiã gerro, sordes exspumat ahenum.*

*Munera sollicitis loculis servanda repone;
Dona fidem referunt monumentaque mentis amica.*

*Duritiã insimulere reus ne 16 nomine egeno:
Tristis inhumanum pensat vindicta rigorem.*

*Disce vicem miseri, rebusque allabare lapsis;
Qui juvat, auxilium, cum fors sua poscit, habebit.*

*Fortunam alterius ne lumine cerne retorto;
Rumpitur ipse sibi depastus viscera livor.*

*Auribus insinuat quicquid, preme pectore, amicus;
Lingua silens habitat tutò, atque in pace quiescit.*

*Ne quibus excelles, mentis sustollere donis;
Dicere non proprium est quicquid, quod cessit in usum.*

*Abstinnisse joci nequam pravisque labora;
Mens divina probris 17 ardescit nescia ludi.*

* * * * *

15 Horat. --- nocet emta dolore voluptas. 16 pro debitorc, vide p. 137. n. 71.
17 excandescit, i. e. irascitur. Metaph.

Lägg af och fly otacksamhet;
En lönes kärlek med förtret.

I Spel håll nöjet för din winst;
Den harmlöst tappar, tappar minst.

För sparsamt och betänksamt tal;
En öpen mun har arghet fal.

Hwad dig förährs, förwara grant;
Ty gåswor ä' en trohets pant.

Sträng en en fattig skyldenär;
Ty hämb för hårdhet wite är.

Den uslas tilstånd tänck uppå;
Ho hielper, skal en hielplös gå.

Misgunna en den lycklig är;
Sitt eget hierta Af-und tär.

Håll lönt hwad andra dig förtro;
I frid de tosta tungor bo.

Förhåfs en af din Gåswors mått;
Ditt snille är et lån du fått.

För syndig skämt förwara dig;
Ty GUD en låter gäckta sig.



In sui seculorumque memoriam

HOC MONUMENTUM

MAG. HENRICUS FORBUS,

PASTOR & PRÆPOSITUS Tornoënsium

Gravissimus

*Ahuc in vivis A:o Rest. Sal. MDCCXXIII. ætatis suæ 49
erigendum curavit,*

Carmine celebratum ab Amico & Consanguineo

D:no GUSTAVO LITHOU

SIGNIFERO.

IUla dedit cunas, docilemque 2 eduxit alumnum,
Post crevi titulis laurifer 3 Aura tuis.
Ostennis 4 Caroli, quamvis invisâ, 4 Coronæ
Intonui rostris buccina clara sacris.

Præpositum decimus durari septimus annus

Jam stupet ad curas, turbide 5 Torna, tui.

Afferui decimas sinuosa lite rotatas,

Expeditique odiis secula lenta suis.

Tota cataphractum cinxit Patientia Mystam,

Et triplici geminum muniit ere latus:

O! quoties indemne caput cerebrosa potestas

Arie-

1 v. p. 54. n. 14. 2 pro educavit, informavit. Tacitus: *Casus plebeji Romæ generis, verum antiqui honoratique, & severa patris disciplina eductus &c.* Terent: *Inde ego hunc majorem adoptavi mihi, eduxi à parvulo, habui, amavi pro meo.* 3 fluvius Aboam interfluens. Sensus: laurea Philosophica coronatus sum Aboæ. 4 Svethicè *Carls-Crona*, civitas & portus munitissimus Blekingiæ, ubi statio classis Svethicæ est. 5 fluvius *Tornoam*, oppidum Westrobooniæ in ultimo recessu sinus Botnici, alluens.

6 *Arietat, & fracta cuspide langvet iners:*
Contudit infestos in se Bona Causa furores,
Clarius & fasso nomen ab hoste tuli.
Surgere collapsum, 7 Lerna oblatrante, sategi,
Christe, tuum studiis nisus ovile piis.
 8 *Flaminiam struxi bis, publica prædia, privus,*
Facturaque nites, Lar aliene, mea.
Tempore consului dextrè tibi, Botnia, duro,
Exhaustisque stiti dulce levamen agris.
Auspiciis animata meis Ecclesia fregit
Quantulacunque tuas, dire Cosacce, minas.
Mystica sacrilego subduxi 9 anathemata Marti,
Post cura & dono creta subinde meo.
 10 *Glutine compegi discordia pectora pacis,*
Et posuit turbas lis rediviva suas.
In Regem patriamque pius, sacra nomina, vixi,
Inque gregem blanda cum gravitate pater.
Sæpe dolens inopes, atque ora famelica pavi:
Sæpe tibi requies lauta, viator, eram.
Candida corda, probos colui, probus ipse vicissim:
Intrepidus sprevi, fulmina vana, malos.

L l 2

Susti-

6 translate impetit, aggreditur. tractum ab *ariete*, machina bellica. Sythicè *Murbrâcfa*. Plautus: *quis protervus nostras adeis arjetat*, id est, vehementer pulsat. Virg. *Arjetat in portam*. h. e. ruit more arjetis. 7 Metaphoricè multitudinem malorum hominum obstante. *Lerna*, lacus est in agro Argivo, Herculis labore notissimus, qui in eo Hydram Lernæam fertur interemisse, vicinæ omni regioni adeo infestam, ut locum fecerit proverbio: *Lerna malorum*, de malis plurimis in unum congestis & accumulatis. 8 *Flaminta*, Flaminis, i. e. Sacerdotis domus. v. pag. 170. n. 6. 9 donaria, quæ Diis suspenduntur in columna, vel pariete templi, *ἀνά τῆς ἀναθήνας*. h. e. seponendo, vel suspendendo, aut certè ab eo, quod nefas esset ea loco movere. Sythicè *Spysio*, strud. 10 figuratè concordia,

*Sustinui sacram pro dono & robore spartam
Pervigil, & zelo fervidiore cliens.
Jamque laborato sese dissolvere penso
Gestit inabruptis mens satiata malis,
Fata precata suis magè successoribus æqua,
Inque ducès animo dexteriore gregem!
Cætera, Summe ducum, concordia tutaque nactos
Pascua præsidio mandat utrosque tuo.*

* * * * *

In Campanam Tornoënsis.

*Campanas Bellona pia pro gente loqvaces,
Abstulit averso Numine, Torna, tibi.
Suffecit, Pax alma novam. cape pignus amoris,
Suspice & hac facilem jam monitrice Deum.*

AD

PERILLUSTREM & MAGNIFICUM VIRUM

DN. CANCELLARIUM

DE **GERHARDI.**

1725.

Magne Vir, augustis toties spectate Theatris,
Quà i Toga, quà causas discutit acre i Sagum:
Cujus Apollineos illustrat fama penates,
Ardua & immensum gloria tranat iter:

Qui

Ille id est, ubi de momentis pacis & belli agitur. Toga pacis, Sagum belli indicium est. 22 conficit, transit, superat, ponitur tranare aliquando pro penetrare. Silius; hasta tranavit viri pectus.

*Qui patriam meritis 3 vincis, virtutibus aulas,
Integritate homines, Relligione Deum:*

Qui carmen generosus amas, & amaris ab illis,

Quois forti 4 incoctum pectus honore calet.

Si nondum suspensa gravem meruere repulsam

Officia, & lentæ difflicuere moræ,

Parce retardatum fatis admittere vatem

Agrius, invisis parce ferire minis.

Peccatum est, fateor, si 5 casus peccat, & 6 urnæ

Innocuus veniam vix aliquà 5 error habet.

Attamen absolvar, causam modò triste 7 Neccessum

Dicat, & ingenuus qui premit ora pudor.

Magne Vir, obtestor, si fas mihi dicere, parce

Suspectum culpæ nomen habere meum.

Fatum crimen habet; damnetur crimine fatum,

Tangat & invitos mitior 8 urna reos.

Sic tua per totum diffundam encomia Pindum,

Quàve vebar vates carmine, carmen eris:

Sic & inabruptis current tua 9 licia fufis,

Dum niveus circum tempora ludat 10 olor.

L 1 3

Cate-

3 obligas. 4 vide p. 231. n. 24. 5 Ovid. Scilicet in Superis etiam fortuna luenda est, Nec veniam leso numine casus habet. Idem: Illa nostra die, qua me malus abstulit error, Parva quidem perit, sed sine labe domus. 6 id est, censuræ, vide p. 152. n. 34. 7 Neccessitas, fortuna noverea. 8 vide supra. 9 h. e. Detur inoffensa vita tibi tangere metam. Ovid. allusum ad Parcas. v. p. 6. n. 14. Licia proprie sunt fila, quibus in telis textrices implicant stamina. Fufus, instrumentum, quod mulieres nendo digitis volvunt, à fundendo dictum, quod dum trahitur, volvendo quasi liquesceri videtur. German. Eine Spindel. Virg. Dum fufis mollia pensa Devolvunt. 10 id est, usque ad seram senectutem, Ovid. Jam mea cygneas imitantur tempora plumas.

*Cætera, Vir grandis, iridere affvesce clienti,
Nascentemque tuæ laudis amare 12 tubam.*

II pro arridere, favere. 12 id est, buccinatorem, præconem. cæterum *tuba*
pro carmine epico seu heroico sumitur.

LECTURIS cujuscunque ORDINIS ac STATUS
Propensis & Benevolis

Opes, Gloriam, Felicitatem precatur

G. L.

1723.

Mens erat Augusti ve grandia gesta Monarchæ
(Enthea quâ potuit pietas, operosaque cultu
Comere 2lima recens) iteratæ tradere luci,
Ingentique novam succendere lampada Tumbæ:
Mens erat; ingenui pulchros sed pectoris ausus,
Indivulsa comes vatum, 3fatalis egestas
Rupit, & æqvoreas dispersit vota per auras.
Ecquid agam? spem pronus opis, quam fecit egeno
Juppiter, invisus fatorum præscidit error.
Ne tamen infelix opus audiat usque supino
Computruisse situ, limosis pabula blattis,
Quâ licet ire, viam tentabo: hoc denique restat
Nempe spei, Lector, tangendi, candide, metam. Er-

I translâtè expolire, castigare, ornare. Gellius: *lingvæ & orationis comenda
gratia.* Sueton. *comitius genus orationis.* 2 vide p. 258. n. 4. 3 de fato poëtarum
nonnemo Patrum: *Heu! miseram sortem, duramque a sidere vitam, Quam
dar doctiloquis vatibus ipse Deus. Sive Deus, seu fata ferant, seu nostra vo-
luntas, Sunt miseri, ingentis qui misere suis.* Ovid. *Sape pater dixit: studium
quid inutile tentas? Mæonides nullas ipse reliquit opes.*

Ergo si rigidi condemnant ausa Catones,
 Infrendentque graves 4 caperata fronte s Cratippi,
 Da veniam; est animus (paupertas impulit audax)
 Invitam facili Fortunam fallere casu,
 Ludere & innocuis semota fraude 6 fritillis.
 Non mihi fallaci versabitur alea jactu,
 Illicitique nefanda cient perjuria tali,
 Miscébuntque 7 Canes damnosi vulnera rixis.
 Hæc maneant fatuos colludia nempe * Lupercos,
 Discinctosque juvent 8 malefvade noctis alumnos;
 Causa mea est melior, nec enim mihi priva petuntur
 Commoda, nec mens est alieno 9 crescere damno:
 Relligio me cana tenet, Legesque verende,
 Justaque temperies sancti moderatur Honesti.
 Nil triviale damus, nec vili lucta capella

Con-

4 rugosa. Caperare est frontem rugis contrahere, & asperitatem vultus ostendere. Tractum à crispis caprorum frontibus. Plautus: quid illud est, quòd illi caperat frons severitudine? Varro: quin mihi caperatam tuam frontem Strobile o. mittis. 5 vide p. 214. n. 16. 6 pro tesseri. contin. pro contento. Fritillus, tabula lusoria, in quo tesserae conjectæ, agitataque mittuntur in alveolum. Sveth. Bråd. spehl. Mart. Dum blanda vagus alea December Incertis sonat hinc & hinc fritillis. Juvenal. --- parvoque eadem movet arma fritillo. 7 in lusu talorum certus jactus Canis appellabatur, quòd unum duntaxat oculum continebat. Dasß & auff dem Würffel, quem, qui jecisset, perdebat: unde damnosos canes Propertius dixit: Semper damnosi profluere canes. Econtra Venus erat jactus felicissimus. * nebulones, quales Luperci illi Sacerdotes Panos pastorum Dei, qui Lupercalium die nudi per urbem curstabant, prægnantiumque mulierum manus, uterosque caprina pelle feriebant: quare & fecunditatem & facilem partum fieri putabant. Virg. Hic exultantes Salios, nudosque Lupercos. 8 Ovid. Nox & amor, vinumque nihil moderabile svadent. 9 discescere.

*Constat iners: blanda non spe 10 lactabitur ullus
Pro Junone gravi 11 Nubem complexus inanem.*

*Extortum Austriaco spoliū prænobile Marti,
CANTHARUS insignis puto superillitus auro
Lusus erit Magni pretiosum munus Adolphi.
Hoc nostrum dignatus 12 Avum, cape pignus amoris,
Mystra, triumphales 13 spirantia symbola lauros
Purpura ait pugnax olim, cum vindice tanto
Ægra 14 parentaret Romana cede Sorori
Lipsia 15 Parthenopi, vulnusque rependeret Istro:
Cum cæsum toties ageret trux Tillius agmen,
Pelleret & totis Aquilas Leo Balthicus agris.*

Stat

10 decipitur, per blanditias in fraudem illicietur. Terent. *Non tibi satis esse hoc visum solidum est gaudium, nisi me lactasses amantem, & falsa spe produceres.* 11 *Nubem pro Junone arripere*, dictum in eos, qui vera non bene dignoscunt à falsis. natum adagium à fabula *Ixionis Phlegiæ*, vel *Æthionis filii*, cui cum Junoni stuprum inferre conaretur, Jupiter Nubem in Junonis effigiem coactam objecit, cum qua congressus Centauros suscepit. Deinde cum passim glorieretur se cum Deorum Regina rem habuisse, Jupiter indignatus fulmine ad inferos Ixionem detrusit, curavitque, ut ibi rotæ volubili alligatus, perpetuò volutaretur. Ovid. *Volvitur Ixion, & se sequiturque fugiturque.* 12 *puta maternum, Jacobum Brenner*, tunc temporis Legionis Ostro-Bornicæ in bello Germanico Pastorem, postea verò Past. & Præp. Cronobyensium in Ostro-Botnia. 13 *spirare* hic sumitur active, significatque idem ac ad vivum aliquid exprimere. Aliquando ponitur pro exhalare, odorem emittere. Virg. *Ambrosiæque coma divinum à vertice odorem spiraverat.* Dicimus & *spirantia signa*, h. e. tam artificiosè facta, ut vivere, atque adedò spirare videantur: *Stabunt & Parii lapides spirantia signa.* Idem. dicitur & *spirare funus patriæ*, id est, minari interitum patriæ. 14 h. e. cum exercitus Cæsareus à gl. m. Rege *Gustavo Magno* ad *Lipsiam* prælio superatus *Magdeburgo*, quæ A: 1631 à *Tillio* expugnata miserrimè tota ferè interitit, clade sua satisfaceret. Seneca. *parentare fratri XX legionum sanguine.* 15 *Magdeburgo.*

*Stat labor, & fulvos imitatur grande 16 Pyropos,
 Quadratisque tumet præsigne toreuma bapillis:
 Scilicet 17 Alcimedonte putes, vel 18 Mentore dignum,
 19 Phidiacam vel forma refert speciosior artem,
 Vel 20 Polycletéis dicas spirasse caminis.
 Talem vel 21 Ganymedes Hero cratera propinet,
 Fulmineum quoties mitescere Numen 22 Jáccho
 Discupit, & domina 23 nebulas proscribere fronte:
 Credibile est similem cupidis admósse labellis
 24 Antonium phialam, tunc cum 25 Muliere profusa
 Vix faceret cœnam septemplex Nilus ad unam,
 Et 26 portentoso 27 Memphis penè hisceret 26 haustu.*

M m

Notæ

16 *Pyropus*, gemma est flammæ colorem referens. unde & nomen. Ovid. --- *flammas imitante Pyropo*. 17 *Alcimedon* insignis cælator apud Virg. --- *divinè opus Alcimedontis*. 18 *Mentor*, mirus in vasis cælandis artifex. Juvenal. --- *rara sine Mentore mensæ*. 19 *Phidias*, statuarius Atheniensis optimus. Mart. *Quis te Phidiaco formatam Julia calo, Aut quis Palladia non putet artis opus?* 20 *Polycletés*, statuarius clarissimus. Statius: --- *quod ab arte Myronis, Aut Polycletéo jussum est quod vivere calo*. Idem: *Quod Polycletéis visum est spirare caminis*. 21 *Ganymedes*, filius Tróis Regis Trojanorum, Jovis Pincerna, qui ei à mensa ministrat, & præbita pocula porrigit. Hunc, cum esset eximiæ pulchritudinis, Jupiter in aquilam transformatus in cœlum portavit, dum venandi causa in Phrygiæ monte Ida commoraretur. 22 Metonymicè nectare & ambrosia, puta potione Deorum. *Jacchus*, nomen Bacchi, à *ἰαχχῶ*, vociferor. 23 *nebula & nubecula* translàtè sumuntur pro supercilio, tristitiâ vultus. vide p. 59. n. 55. 24 *M. Antonius* Triumvir, qui captus amore Cleopatráe multa ipsius gratia nefanda admisit. Postremò cum Augusto, cujus Sororem Octaviam repudiavit, ad Actium navali prælio congregiendi superatus est. Hinc Alexandriam confugiens, ibidemque ab eo obsessus gladio sponte occubuit. 25 per Antonomasiam *Cleopatra*, Regina Ægypti, soror & uxor Ptolomæi ultimi, mulier impudicissima, quam cum Antonio superavit Augustus, quare ipsa se interfecit, dum aspides admoveret uberibus. 26 fertur enim Cleopatram gemmam stupendi pretii, in gratiam amatis sui Antonii inter cœnandum deglutisse. Sidonius: *Cleopatra dapes*, i. e. portentosæ, profusissimæ. 27 *Memphis*, Urbs Ægypti Regia, Pyramidibus & Regum sepulchris maximè insignis, nunc *Cairus*, *Alcair*, sive *Cairo* putatur.

*Non est, ut memores operis decoramina tanti
Rus subolens mea Musa rudis, scrutetur ocellus
Doctior, atque acies pretium depréndet acuta.*

*Ergo agite ite boni devota in vota, Patroni,
Seu Toga vos, seu forte sagum, seu purpura nobis
Grandis honorandos, seu rostra aut Pulpita 28 cernunt:
Vindice Mercurio quibus aut 29 versura renidet,
Distentasque gravant sestertia vasta tabernas,
(Si patriæ studuisse juvat, si gentis honori:
Si mereor vates; si tanti Nominis ullus
Quod canimus, 30 superabit amor, quem sera probabunt
Secula, & exemplum nascens venerabitur ætas)
Splendida submissis subscribite Nomina Chartis,
Et conjurata scenam decorate Corona,
Scilicet in facili est modicæ jactura monetæ,
In patriæ commune decus quæ cedit & usus.
Sic 31 Venus alveolos persultans optima vobis
Ridebit: Fortuna lubens famulabitur ausis:
Sic memor in Vestras surget 32 Polyhymnia laudes,
Grataque victuris incidet Nomina cedris:
Hi poterant luci redivivum Herba secunde
Sistere, & ingenuos vatis fulcire labores.*

* * * * *

IN

28 pro discernunt. 29 id est, vos Mercatores, qui favente Mercurio polletis opibus. *Versura* hîc simpliciter pro negotiatione, & permutatione mercium sumenda est. Cæterum *versuram facere* idem est, ac creditorem mutare, & fœnus cum pari aut majori fœnore persolvere, quod vulgò dicitur *Nudato Petro Paulum tegere*, &c. ut ita dicam, nomen nomine expungere, quod boni mercatoris non est. 30 *supero*, pro supervivo, superstes sum. Virg. *Quid puer Ascanius, superatne & vesciur aura?* 31 vide pag. 271. n. 7. 32 v. p. 167. n. 39.



IN ALBO
CLARISSIMI CANDIDATI
DN. NICOLAI WALLERII,
Cum ad Exteros abiret.

ODE.

N Il sibi magnum statuit cupido
Multa spectandi: placet 1 error orbis,
Ut gulam 2 monstris, oculosque pascat:
Omnis in hoc 3 est.

Per truces spumas, & opaca Ponti,
Fus 4 sacri læsum fuit ut 4 Tridentis,
5 Thessalam Graii docuere 6 nauæ
Currere 5 pinum.

Huc 7 ovis flavae 8 scabies 9 hianteis
Impulit tanti fuerat timere
10 Flammeum tauri, vigilemque torva
Fronte draconem.

M m 2

Itur

1 peregrinatio, vagatio. Tibull. Ille per ignotas audax erraverit urbes. 2
monstris esculentis. *Monstrum* hic est, quod præter consuetudinem offertur atque
idcirco raritas admirationem facit. 3 subaudi intenta. 4 Synecdochicè Neptuni, id
est, maris. Virg. --- *magno tellus percussa tridenti*. v. p. 50. n. 69. 5 *Argo*,
navem, quæ putatur prima fuisse, quæ ausa sit ventorum minas contemnere, &
ad longinquas regiones transfretare, cum in litribus antea homines navigarent,
parvisque acatiis. 6 *Argonautæ*, quorum dux *Jason* erat. 7 aurei velleris. 8 vide
p. 201. n. 40. 9 avaros, avidos. v. p. 46. n. 17. 10 id est, boves aspectu terribiles,
plur. pro sing. Fingunt enim poëta aureum illud vellus à Dracone infomni, &
bubus ignem ex ore spirantibus custoditum fuisse, quod nihil aliud significat, quam
diligentiam & ferocitatem custodiarum è Taurica regione accitarum. *Flammeum*
proprie genus amicali est lutei, seu crocei, quod à novis nuptis gestabatur. Sic di-
ctum, quod eo assidue utebatur Flamini uxor, i. e. Sacerdotis. Lucan. *Lutea demis-
sos velarunt flammea vultus*.

*Itur in mundum 11 quater ense sectum,
Jamque vis ulli satis est in annum
Gleba natalis: redit ille Gallus,
Itālus iste.*

*Barbaras jactat didicisse voces
Barbarus trudit malè nata verba:
Barbara fictum modulatus 12 ampul-
latur in arte.*

*Nempe trans metas maris huc cucurrit
Axe mutato, bipedemque asellum
Rettulit, qualis fuit ante, mentis
Semper iniquæ.*

*Vidit 13 Empusæ nemus, & volucreis
14 Squameas 15 Cydni, niveosque corvos,
Se quidem nunquam, tamen alter Argus
Omnia vidit.*

Nil verecundi 16 salis aut 17 aceti:

Nil habet mellis piperisque casti:

18 Cyprias rauco vomit ore 18 faeces

Plenus amurca.

Qui

11 quadrifidum, quadripartitum. 12 superbit, turget, vide pag. 213. n. 7. 13 *Empusa*, genus larvæ & terculamenti dicatum Hecatæ, uno pede incedens, habuit facultatem instar Protei se convertendi in quæcunque libuisset, vide Natal. Com. 14 Plaut. *aves squamosas, pisces pennatos.* 15 *Cydnius*, fluvius fabulosus, amœnus & salubris in Cilicia transiens urbem *Tarsum*. 16 id est, urbanitatis & joci, Nam sicut *sal* savoritatem quandam cum mordacitate habet, ita etiam urbanorum joca. Catull. *Nulla est in tanto corpore mica salis.* 17 *Acetum* & *piper* per proverbii Metaphoram, vel alacritatem, vel acrimoniam vel indignationem denotant. Plaut. *Ecquod habet aceti in pectore.* Horatius pro mordacitate dixit: *At Græcus postquam est Italo perfusus aceto Persius exclamat,* 18 id est, inter pocula effusii sua Fescennina, amores obscænos,

*Qui serit jacto per inane plausu
Aëris campos, stolidè laborat,
Auream messem licet ex novali*

Speret Honoris.

*Non Tibi non sic jocularis 19 erro,
Mentis erectæ, WALERI, vagaris.
Pulchra vestigas sapiens Honesti, &*

Semina Veri.

*Quà sacros pandit Witeberga colleis,
Florida æternæ Sophies vireta,
Te via raptat meliore fervens*

Flamma sciendi.

*Sic iö! ventis abeas secundis
Verne flos 20 Cirrhæ, triplicique pectus
Fruge vel tali redeas onustus*

Colchide Jason!

19 peregrinator, circumcellio. 20 Metonymice Phœbi. vide pag. 96. n. 23.



LIBELLI SUPPLICES.

S. T.

AD

COLLEGIUM S:æ R:æ M:tis REGNIQUE STATUS.

1721.

Q Vos sui Promos Diadema Condos
Grande Thesauri statuit, stipemque
Pro suo cuius merito erogare
Fussit alumno.

M m 3

Præ-

*Præses illustris, gravis & Coronæ
 Affecle fidi, precibus tot aurem
 Qui datis pronam, & date vota rauca
 Possē cicada.*

*Alterum jam nunc teritur trimestre,
 En! adhuc saltans sterili saburra
 2 Perdo jejunum gracilentā surdas*

Carmen in auras.

*Ergo, Mæcenās, precor, & Patroni,
 Aureo rursus miseram ite pastum
 3 Rore, quem nostri 4 Jovis aura fecit*

Maxima juris.

*Sic Maronéas duplicante silva
 Eclogas Vestrum decus 5 omne tuber
 Personet, dum omnis tremulam canendo*

Liquor in æthram.

1 Poëta. Allegoria. quemadmodum enim cicada rore duntaxat vivens cantu potissimum delectatur, tenuiorisque suæ fortis fata, scœnitæcarumque operas & sudorem mulcendo, instantis brumæ secura fatiscit: ita etiam poëta, dum decantandis Heroum laudibus totus & tantus incumbit, nescio quo fato posthabita sua ipsius fruge alienæ gloriæ raucus inopsq̃ immoritur. vide p. 270. n. 3. 2 inaniter effundo. Virg. --- non tu in triviis, indocte, solebas Stridenti miseram stipula disperdere carmen. 3 stipendio. 4 gratiâ clementissimi Regis Regnique Ordinum. 5 Sensus: sic ubivis locorum, quoad vivam, vestrarum laudum clara buccina fiam, ut Virgilius patrocinii sui Mæcenatis & Pollionis in Bucolicis.

AD IDEM.

Illustres virtute Viri, cultoque sagaces
 Ingenio rerumque periti:
 Dextra Status, Clavis Thesauri, Aurisque Gothani
 Tot meritis alimenta ministrans;

Nomi-

Nomina post ullos nunquam memoranda Patronos,
Devoti spes facta clientis,
Qui fit, ut inclines alios dum porrigitis aures
(Prædura de 3 nare locuto
Indulgete boni) rigidi obturetis easdem
4 Ructanti nunc carmina Musæ?
An quia demulcet Vos nonnisi lactea fandi,
Et fluide vis tersa loquelæ,
Spernitis insulsam ranci 5 Theseida Codri,
Plectra levem resonantia 6 Marzum?
Garrula sic pœnas dat achanthide iudice cornix,
Nubivagæ ludibria gentis.
Ridetur cygnis strix importuna canoris,
Atque ululas despectat alauda.
Nil valeo, fateor, nec iners pro tempore laurum.
7 Fatidicam mea Musa momordit;
Murmure sed trunco balbutit, blasæque verba
In cassum ceu 8 tertiat infans.

Ergo

1 pronas, propensas. 2 pro porrigitis, Syncope. 3 i. e. duriusculè, audentius. Persius --- balba de nare locutus. 4 putidos versus quasi ructus edentis. Horat. *Hic dum subimes versus ructatur, & errat.* 5 poema Thesei gesta complectens poëta pauperrimi apud Juvenalem: *Vexatus toties ranci Theseide Codri.* 6 Barlaeus: *Me Bavli terrent, spretique opprobria Mævi, Et levis in tota Marzus Amazonide.* 7 *Laurus fatidica* dicitur, vel quod ex ejus crematæ strepitu futura colligebant: fragosius enim combusta felicitatem portendere credebatur. Tibull. *Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.* Contra si tacite conflagrasset, tristitia portendebat. Propert. *Et jacet extincto laurus adusta foco.* 8 *Tertiata verba* appellantur imperfecta, & lapsantia, & cum pavore tremebunda, quando quis examinatus non profert verba integra, sed vix tertia quæque enuntiat, mediis ex perturbatione suppressis, Apulej. *Tremens & exangui colore, lurida, tertiatata verba substrepens.*

*Ergo laborantis fato pejore miselle
 Ulterius suspendere votum
Parcite: ne messem (nec dum flavescit) in herba
 Precocem tondete, Patroni:
Parcite spes ruptum nostras torvi ire, faventes
 Fussistis quas hactenus 9altas.
Qvin tandem duplices, presentia Numina, questus,
 Purgata, precor, aure bibatis:
Tertium ut obtineam, stipendia nostra, Trimestre,
 Hæc voti pars summa clientis:
Hæc precibus mensura meis, hoc totus in uno
 10 Tabescit langvetque Poëta.*

9 fotas, sustentatas. 10 Ovid. *Nolumus assiduus animum tabescere curis.*



AD
CELISSIMUM atque ILLUSTRISSIMUM
COMITEM & SENATOREM REGNI SVE-
CIÆ &c. &c.

**DN. G U S T A V U M
C R O N H I E L M,**

Mæcenatem suum longè Indulgentissimum, Opti-
mum devotissimè

G. L.

1732.

Pro-



*Propria cum Virtus Tibi sit pulcherrima merce,
 Quæ dominum iusto pridem mactavit honore,
 Divitiisque animosa suis, nec à laudis egena,
 Nec splausu cupiens levis inclarescere vulgi
 Pulchrius innato longe splendet in cauro,
 Non mea, Mæcenas, mea non infantula jam nunc
 Sustinet in tantos consurgere Piæris ausus
 Obruta penè gravi meritum in me mole Tuorum:
 Nec patitur mens agra moras, quam dura novercæ
 Fortune compunxit 7 acus, nec fulmine tactum
 Præpete triste caput, jubeat licet alta voluntas;
 Ergo ades & nostros, mitissima Purpura, casus
 Respice, & in questus descende jacentis, & audi
 Ferrea fata Tui non expectata clientis.*

N n

Cer.

1 Præmium: quippe Virtutis possessio summa felicitas. Felicitas absoluta non est, nisi quæ omnia in se habet. Unde extra virtutem Bonum nullum, omnia turpia & prava. Plato: *Ipsa (virtus) supra omnia, & nullis vitæ opibus comparabilis.* Claudian. *Ipsa quidem virtus, pretium sibi solaque latè Fortune secunda nitet &c.* Ovid. --- *mercede caret, per seque petenda est Externis virtus incommittata bonis.* **2** domesticis bonis, animi nimirum ex Sapientia immobili moderatione. Non cupiens, quæ non habet, quorum copia est, iis contenta. Martial. *Felicem duxi, non qui quod vellet, haberet; Sed qui per fatum non data non cuperet.* Horat. --- *mea Virtute me involvo, probamque Pauperiem pro dote quæro.* **3** vox contemptum divitiarum inferens. Claudian. --- *animosaque pauperis umbra Fabritii.* **4** Symmachus: *Siquidem virtus sua laudè conspicua averfatur auxilium commendationis aliena.* **5** ut auræ popularis captatores. Phædrus: *Vanus animus auræ captus frivola, Vulgi Mancipium.* Boëthius: *Vos nisi ad populares auras, inanesque rumores rectè facere nescitis, & relicta conscientia virtutisque præstantia de alienis præmia sermunculis postulatis.* **6** translacè, nobilitate. **7** aculeus, telum. translacè vis, injuria.

*Certius est certo perii! & stat in ulcere & unguis,
Mens corpusque dolent: totus tantusque laboro!*

*Quam Tua promeruit pollens Facundia quondam,
Publica dona, & Stipem dubius desidero longe
Egregiam, repetente Statu, viduatus & omni
Subsidio summæ teneo vicina ruina.*

Quod potuit mens cæca nefas? vesania crimen?

Commovit quæ culpa Deos tam numinis æqui

Hactenus? an pupugit tanta indulgentia nostri

Lumina lippa tibi, livor, virusque nocivi

Nostra 10 Theóninos armavit in ulcera dentes?

An solvunt meritas suspecta silentia pœnas,

Atque 11 Vacuales genio torpente recessus,

Et Phæbi non certus amor, residisque Thalia

Otia muta nihil post excellentius ausæ?

Non ego mentis egens ad eò sanique pudoris

12 Exul, ut imperii favor in me pænè profusus

Cassus in ingrati latitaret cordis 13 operto.

Absit! adorandum longè indulgentia Regum

Numina, munificasque manus agnoscimus, atque

Usque salutiferas Magnatum extollimus 14 aras,

Ordi-

8 id est, summo dolore afficio. Proverbialis Metaphora. 9 Stipendium. 10 v. p. 167. n. 44. 11 obscura, ignava otia, v. p. 222. n. 28. 12 i. e. non ad eò depudi, fines pudoris transi. Ovid. *Depudit, profususque pudor sua signa reliquit.* 13 *Opertum*, substantiv. pro sinu, recessu. Cæterum *Opertum* Bonæ deæ, sacrificii genus erat, quod à folis mulieribus in loco operto fiebat, cuique virum interesse nefas erat. Cic. *Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut si Opertum Bonæ deæ accessisses, exulares.* Ponitur aliquando pro admirabili & occulta scribendi ratione. Gellius: *comminiscitur opertum hoc litterarum admirandum.* 14 opem. Meton.

Ordinibusque sacris se gestit vita referri
 Acceptam, præsensque 15 Toga decantat Asylum;
 Ast mea cur toto Pallas lentissima 16 lustro
 17 Desierit mediam disrupto stamine 17 telam?
 Cur velut in 18 tacitis habitans elinguis 18 Amyclis,
 Atque exosa diem nil artis, ut ante, sit ausa,
 Non temerè quæris, Comitum mitissime? causam
 Accipe, & hinc aliqua suspectum dilue crimen.

Cæperat acceptis mea vix procedere ventis
 19 Cymbula, & optatos sed Te sperare recessus
 Auspice, tempestas cum proruit acris ab Arcto,
 Fit fragor, antennæque gement, striduntque rudentes
 Horrendum, 20 decimis circumsonor undique & undis
 Perniciem sorbente suam jam penè carina.
 Eccui contulerim potius mala nostra, nefando
 Quam pelago? genus est plus quam miserabile fati.
 Quid feriat mentem, quid turbet acerbius aures,
 Sub gallicinium quam 21 Chrysalus ostia pulsans
 Irrequieta frequens, stomachosus, rusticus, excors,
 Multa bile tumens, probris atque ora refertus,
 Nescio quid minitans summam exacturus ad assem.

N n 2

EII

15 Nobilitatis. 16 quinquennio. 17 Desinere telam proverbialiter pro desinere, relinquere artem, renuntiare arti. v. p. 203. n. 49. 18 Amycla, urbs Laconia, Tyndari Regia, in qua Castor & Pollux nati sunt. Alia est urbs in Italia, inter Tarracinam & Fundos à Laconibus condita. Cum aliquoties ejus civibus falso nuntiatum esset adventus hostium, postea cautum est, ne quis amplius nuntiaret. Inde ex improvise captæ sunt Amyclæ. Hinc Lucilius: *Mibi necesse est loqui, nam scio Amyclas silentio perisse.* Virg. --- & tacitis regnavit Amyclis. Aufon. *Tu velut Oebaliis habitas taciturnus Amyclis.* 19 Allegoricè vita, 20 maximis, vide p. 174. n. 88. 21 Synecdochicè pro quovis fœneratore.

Est mora nulla, migrant agri, stipendia migrant
 Hinc pretio inde dolo certantibus: itur in omne
 Jus mihi concessum plus quavis jugiter annis.
 Quid facerem in tanto miser atræ turbine sortis
 Nominibus pressus multis atque obrutus ære?
 Subtraheremne caput præseni indemne periculo,
 An foret in certos ultrò objectarier ictus
 Pulchrius à rauco * latratum impune ** Theone?
 Quid nisi secessum mens anxia quæreret, & quâ
 Tutius aspiceret scopulos & naufraga saxa
 Fracta ratis 22 tabulas nequicquam ululata solutas?
 Est omnis 23 natura sui cupidissima custos,
 Salva sit ut, genere inque suo servata quiescat:
 Est sibi cuique suisque datum timuisse, nec uni
 Providus eventus confidit musculus antro,
 Alternasque fugam multa lepus acte catella.
 Ast ne fortè situ caderent mea 24 pectora turpi,
 25 Cæles & igniculus superante dolore labaret,
 In silvas animum, piscosaque littora flexi
 26 Cymothoë lævam, dextram moderante Diana,
 Principibus solenne Viris opus, utile fama,
 Et membris mentique simul, stomachoque vacivo;

Gran-

* *Larratum*, passivè, id est, convitiis laceffitum. Stautius: --- *juxtaque Caphareus Larratum pelago tollens caput*. h. e. tumultu fluctuum affectum. ** *Theon*, Synecdochicè pro quovis homine maledico. 22 *translatè*, bona mea subducta. Ovid. *Naufragii tabulas qui petiere mei*. 23 *Cici*. Non dubitem dicere omnem naturam esse servatricem sui, idque habere propositum, quasi finem & extremum, se ut custodiat. 24 plur. pro sing. 25 *Cæles* singulariter pro cœlestis auctoritate Ovidii, qui Augustum Cœlitem vocat. l. 5. de Ponto. 26 *Cymothoë*, Nympha marina, Nerci & Doridis filia. vide p. 123. n. 40.

*Grande rudimentum Martis, generosius omnes
 Excipiens lethi facies invisaeque fata.
 Scilicet his studiis totum illeabile 27 lustrum,
 Quà potui, fregi, vitamque operosus egenam
 Sustinui, 28 annonâ peregrino mure peresa.
 Non erat è tanta Musam deducere 29 nube,
 Musam mentis opus 30 sudæ vultusque sereni.
 Plaudere quis Priamum natorum funere cogat?
 Quisque choros Nioben orbatam ducere festos?
 31 Cordis amat pacem Pallas tranquilla locique;
 Intima me anxietas, me 32 decoquit exera totum:
 Erigit, infantem licet, audax gloria Musam,
 Suggestit atque animo non parvas ambitus alas.
 Què mihi laudis amor veniat, què gloria curæ?
 Dente petor præsens inimico, mordeor absens.
 Ergò tibi veniat, 33 Britomartis, gratia longè
 Maxima, curarum requies tu prima mearum,
 Tu medicina mali, tu pax, tu cordis anbeli
 Dulce refrigerium, quod suffecisse vel omni
 Musa laboranti nequirit Permesside lymphæ.*

Nn 3

Sed

27 Qvinqvennium. *Lustrum*, à luendo dicitur, id est, solvendo, quod quinto quoque anno vestigalia per Censores locata persolvebantur, & à civibus conferebantur. Inde invaluit consuetudo, ut lustris appellatione spatium quinqve annorum appelleretur, quod *Olympias* apud Græcos dicitur. Ovid. *Jamque decem lustris omni sine labe peractis.* 28 id est, dum scænerator toto fruitur stipendio. Allegoria. 29 *Nubes* animi per translationem tristitiam denotat. Ovid. *Ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removet.* 30 Ovid. *Carmina proveniunt animo deducta sereno; Nubila sunt subitis tempora nostra malis.* 31 Ovid. *Carmina secessum scribentis & otia querunt; Me mare, me ventus, me fera jactat hyems. Carminibus metus omnis abest, &c.* 32 translâtè, consumit. 33 *Dianæ comes*, vel ipsa *Diana*, vide pag. 251. u. 12.

*Sed quò, Musa, ruis fatum lacrimabile præsens
 Certa queri, & duros ad 34 pulvinaria casus,
 Indignamque vicem dominas demittere in aures?
 Hæc sunt, Mæcenas, studii sufflamina nostri,
 Hæc, inquam, invisi, luimus quam, causa silenti.*

*Sic ergo æternis ibunt mea tempora curis?
 Siccine agam infelix? sic vatem vindice nullo
 Indeploratum comitum par triste sequentur
 35 Algor & esuries?
 Scilicet ingenuis imberbes artibus annos
 Egregiè impendi! juvat incaluisse Sororum
 Terque trium studiis, inopi timuisse senectæ
 Cum sit opus misero jam nunc, peregrinaque triste
 Heu! mendicatâ pasci per limina mica!
 O! Patria, O! patriæ dulcissima Nomina Patres,
 Tantane Vos cepit nostri indignatio? tantum
 Usque odium? tantane animis sublimibus iræ,
 Omnis ut 36 exciderem Vobis, opis omnis ut exfors
 Desererer mediis 37 miserabile naufragus undis?
 Excipite, excipite O! non duro littore nantem,
 Nec pigeat lasso dextram supponere mento:
 Omine 38 deductam lævo 38 subducite puppim,
 Mordeat & tutum post firmior anchora fundum.*

Vul-

34 vide p. 148. n. 5. 35 heic lacunam fecit indignatio. 36 excidere per Metaphoram oblivisci est. Virg. *Necdum etiam cause irarum sevirque dolores Exciderant animo.* 37 pro miserabiliter. Hellenism. 38 *Deducere* navem, est è terra in mare ducere. Contra *subducere*, est in terram trahere. Virg. *Quassatam ventis liceat subducere classem.*

Vulnera quæ fecit tibi, 39 Telephe, demsit & hasta
40 Pelias, una tui causa & medicina doloris.

Vos, Patres, exemplar idem prænobile tangat,
Excitet atque aliquà miserum servare 41 Qviritem.

Esto, frequens magnum carpit 42 discretio acervum:
Alta licet, multo 43 sidunt granaria mure:

44 Omne nêmus caveis non est includere pastum;
Pro lingvæ ratione tamen sua pabula achantis
Demeret, & dominum pretio 45 tenet oris aëdon.

Ambio non spicam; messem cantillo 46 cicada
Roris amans parci culmo stillantis ab imo:

Parva peto parvus supplex stipendia vates.

Qui modico contentus agit, saturatus abundè est.

Tuque adeo qui forte genus virtutibus anteis
Usque tuis, studiisque probas, non sanguine niti:

Cujus adorandos felix Academia fascès

Suspicit, & laudes longè Pæanaque passim

Tota theatra sonant, & pulpita docta Sophorum,

Huc

39 Telephus, Myfarum Rex & Herculis filius ex Augè, qui quum Græcos ad Trojanam expeditionem proficiscèntes prohibere conaretur, nè per Mysiam iter facerent, ab Achille vulneratus est. Cujus plagæ quum nullum fatis efficacè inveniretur remedium, Oraculo responsum est fore, ut eadem hasta, quæ vulneratus erat, sanaretur. Réconciliatus itaque Achilli, facto ex rubigine ejusdem haste emplastro, statim sanitatem est consecutus. Ovid. --- ego Telephon hasta Pugnamentum domui, victum orantemque refeci. 40 Pelias hasta, id est, Achillis. patronymicum à Peleo, cujus filius erat. Ovid. Transeat Hectorum Pelias hasta latus. 41 civem, subditum. vide p. 128. n. 9. 42 munificentia, liberalitas cum delectu. Prudent. --- cumulum discretio carpit. 43 translate, decrescunt, dehiscunt. Plin. Quà sidentia imperii fundamenta ostento fatali Curtius expleverat. 44 id est, omnes aves nemorum. contin. pro contento. 45 tenere pro demulcere; in admirationem sui rapere. Gellius: Tenebat animos nostros homo ille fandi dulcissimus. Ovid. --- is (color) mea membra tenet. 46 allegoricè poëta. vide p. 278. n. 1.

*Huc ades & cæcos releva, pia Purpura, casus,
Mite patrocinium dubiæque allabere causæ.*

*Eccui se mandent potius mea fata Patrono
Quam Tibi, prima meæ steteris qui causa salutis?*

*Nitere, namque potes, sortem mutare malignam,
Ostendetque suas pollens Facundia vires.*

*“Conveniens homini est hominem servare voluptas,
“Nobilius nullâ puta gratia quæritur arte.*

*Ut subducta queant quam primum 47 obsonia nobis
Rustica duntaxat, si non Salana, reponi:*

Regius ut merear panem meruisse poëta

Totus in augusti laudes & tantus iturus

Imperii, patriæque decus septemque Trionum

Ausa 48 Sophocleis certus tonuisse cothurnis,

Et Gothicum seros nomen docuisse nepotes.

Hæc voti pars summa mei, quod flagitat, hoc est.

Quid mihi vobiscum est, honor invidiosus Athenæ?

Quid speculatricis contorta sophismata gentis,

Diffona quæque rotat, moror 49 enthymemata, 50 Stoa?

Consciis ipse meæ benè debilitatis honores

Horreo majores humeris, nec viribus æquos.

Non ego nubivagas Alpes, non 51 Pelion altum

Molior,

47 stipendia. 48 id est, stilo sublimi. Sophocles, poëta tragicus, patria Athenien-
sis, tanta orationis suavitate, ut vulgò μελιττα, i. e. Apis, seu Siren Attica
cognominatus sit. Virg. Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno. 49 v. p. 176.
n. 98. 50 Philosophia, spec. pro gen. Cæterum σοὰ stationem sive porticum signi-
ficat, quò illi Stoici, quorum Doctor Zeno erat, ad differendum convenire solebant.
51 Pelion, mons Thessaliæ silvofus in sinum Pelasgicum incumbens, ex cujus ne-
more materies ad fabricandam Argo excisa. Seneca: Quisquis audacis tetigit cari-
na Nobilis ramos, nemorisque sacri Pelion densa spoliavit umbra.

*Molior, aut tumidam temerè superare 51 Pyrenem.
 Præcipites metuo scopulos livoris iniqui,
 Cordaque doctorum prob! secli 52 afflata veneno.
 Nunc Phæthontéi subeunt discrimina fastus,
 Et malè servato juvenis prolapsus ab axe.
 Tutius est humiles inter reptare myricas,
 Grædiaque heroum comitari nomina pone:
 Tutius in tacitæ gradiar convallibus 53 Idæ
 Insignem resonare docens nemus undique 54 Daphnin.
 Formosamque sequi motas 55 Amaryllida silvas.
 Sit satis ingenti non displicuisse cicutam
 56 Musagetæ, & plausus tanti emeruisse Patroni:
 Sit satis illustri me Mæcenate probari,
 Sat tanti ad nostras 57 Pisonis gloriæ laudes.*

51 *Pyrene*, mons Galliam ab Hispania dividens, ita dictus ἀπὸ τῆς πυρός, h. e. ab igne, sive quòd crebris fulminum ictibus feriat: sive quòd Pyrenici montis silvæ, injecto à pastoribus igne, olim univetsæ conflagraverint. 52 *translatè*, contacta, infecta. Sueton. *fulmine afflari laurum negant.* 53 v. p. 213, n. 8. 54 Allegoricè Mæcenatem CRONHELMIUM, 55 Patriam, 56 Herculis epitheton, quæsi Musarum ducis. 57 *Piso*, è gente Calphurnia in primis Romæ nobili, ad quem extat Ovidii Panegyris, item Horatii Ars Poëtica.

AD EUNDEM.

ET pudor & metus est semperque eademque precanti,
 Ne moveat mentem nautea justa Tuam,
 Neve ferat tristem vox importuna repulsam,
 Heu! toties auri vox onerosa gravi.
 Quid faciam rigido pressus jam pænè necessity?
 "Cum dolor in cursu est, flagitat eger opem.

Si quæ tamen nostri i superat Tibi gratia, nec dum
Omnis inabrupta surdit usque prece:
Si licet & pateris, Comes O mitissime, Musam
Sæpius ante aras procubuisse Tuas,
Hos saltem tristes elegos dignare supremum
Aure, nec afflicti respue vota viri.
Da, precor, assensum lacrimis, pia Purpura, nostris,
Nec rigidam timidis vocibus obde forem:
Confer opem, ter quæso, piam, Comes alme, citamque;
Ultima me tangunt, spes mea, confer opem:
Dum quæ salus spectanda 2 venit, dum specula vitæ
Blanda micat, pronas accelerato manus:
Suffulci tremulam, Mæcenas magne, ruinam,
Nec patere indigna me periisse vice.
Scilicet hic rerum status est, hæc forma mearum,
Ut superent Vestram pæne relata fidem.
Vita mihi trahitur misera, & rerum omnium egena,
Omnibus usque cærens præter egere nihil:
Longa laboratum tenuant jejunia corpus,
Nudaque pallidulo frigore membra tremunt.
Talia si patior jam nunc, quid denique fiet,
Cum ruat adducto ningvida bruma gelu?
Nunc Tua pro rebus nitatur gratia lapsis:
Servatus per Te, si modo servor, ero.

Ni

I *superat* pro *superest* poetis usitatissimum, de quo supra. 2 aliquando *venire* pro *esse*, sive ὑπάρχειν, item & τυγχάνειν ponitur. Tibull. *Quid Tyrio recubare thoro sine amore secundo Prodest, cum flutu nocte vigilanda venit?* pro vigilanda est. Ovid. *Gratia, Musa, tibi: nam tu solatia præbes: Tu cura requies, tu medicina venis.*

*Ni maturet opem jam jam Tua dextera pollens,
Magne Vir O! fatis quid nisi præda sumus.*

*Lenem Te miseris genuit Natura, nec ulli
Mitius ingenium, quam Tibi, corque dedit:*

*Supplicibus Tua celsa Domus consveta juvandis
Provocat 3 Attalicam, vel 4 Philadelphæ, tuam.*

*Ab! meminî, ut nondum notus, nondumque rogatus,
Sors mea quem potuit tangere, primus eras:*

*Primus eras, cæco cum jactaremus in alto
Ancipites, quassæ portus & aura rati:*

*Primus, qui dubiæ tulerat solatia menti:
Primus opis fidæ consiliique Parens.*

*Contigit insignis quod publica gratia nobis,
O utinam staret! muneris omne Tui est.*

*O! quoties lauta pasti ora famelica mensa,
Nec piguit dapibus me recreasse Tuis.*

*O! quoties vacuas non vili munere palmas
Ditas, & patulam contrahis ære clavam.*

*Desine munificam Pisonis tollere dextram
Laudibus æternis, Naso miselle, tui.*

*Crediderim vestro vix Mæcenate beatas
Vos habuisse magis, Flacce Maroque, manus.*

*Hic Vir, hic est, vestris, manus hæc tollenda cothurnis,
Quæ nequeunt nostri pondera ferre pedes.*

*Si qua tamen pro posse valet devota voluntas,
Debitor æternus scribar & asse Tuus.*

3 vide p.107. n.36. 4 Philadelphus Ptolomæus Rex Ægypti, insignis literatorum Patronus, qui Codicem sacrum curavit traduci de Hebræo sermone in Græcum per 70 interpretes. Idem Rex bibliothecam fecit Alexandriæ, ferè 50 millia librorum continentem.

*“Tumque omnis meriti morietur gratia tanti,
“Cum cinis absumpto corpore factus ero.
Talia cum mecum, cum tot benefacta revolveo,
Erigor in multam spem recreatus opis.
Ite ergo insani turbantes corda dolores,
I procul anxietas, curaque carnis edax:
Musa s quærelarum jam s desine tristis, & aude
Quantumvis gravida 6 frangere nube diem.
Nescio quæ insolitum prætentant gaudia mentem,
Plenaque vivaci sanguine vena micat.
Fallor an oraculum dictat solatia præsens,
Nec patitur quærelulos disperiisse sonos.
Gaude Musa tibi, venit en! Servator, in alto
Spemque sinu certam dissimulanter ale:
Quærerere mitte modum, quo sim, quandoque juvandus:
Sæpe petulca sibi cura refutat opem.
Sola suum novit pollens Prudentia tempus,
Sola locum prendet, repperietque viam.*

5 Hellenismus. vide p. 14. n. 31. 6 simpl. pro comp. effingere, elicere.



AD


AUGUSTISSIMUM atque CLEMENTISSIMUM

REGEM

FRIDERICUM.

1734.

Cæli-

1  Oelivæ delapsum, FRIDERICE, 2 Ancile Theatro,
 Cujus Hyperboreum munere 3 vernat ebur:
 Fatorum Domitor felix, & vipera Marti,
 Imposita horrifonis lætaque Pausa tubis:
 Impiger Alcides, bene cui transcribitur omnis
 Libertatis Honos, Pacis Oliva ferax:

Vindice quo priscum redierunt secula in aurum,
 Agnoscitque suum Svecia tota decus:

O! Pater, O! patriæ per Te florentis Imago,
 "O! REX non ipso, quem Regis, orbe minor.

Huc ades Assertor miserandæ maxime sortis,
 Naufragioque fave Portus & Aura meo:

Mitius indulge Numen, dum poplite flexo
 Lambit adoratos cernua Musa pedes:

Quoque facis terras totumque bilarescere Regnum,
 Nunc dignetur idem me recreare Jubar.

Hoc Tecum commune Deis, quod utrinque rogatos
 Sponte juvat justas aure bibisse preces.

Ultima me tangunt, stipe qui viduatus & omni
 Spe miser hinc illinc nudus inopsque vagor:

Omnia perdidimus, præter doluisse perenne,
 Nec mage lingua salem, quem mea lingat, habet.

O o 3

Respi-

1 singulariter pro cœlesti. v. p. 168. n. 55. 2 Ancile, scutum breve erat, ita ex utroque latere recisum, ut nullus angulus videri posset, & summum infimumque ejus latus medio pateret. Fertur Numæ Pompilii tempestate de cœlo decidisse, unaque editam vocem, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu in ea mansisset. Itaque facta sunt ejus generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset. Ovid. Ecce levi scutum versatam leniter aura Decidit, à populo clamor in astra venit. Et paulo post: Idque ancile vocat, quod ab omni parte recisum est, Quamque nores oculis angulus omnis abest. 3 floret Solium, regnum, Meton.

*Respice me, 4 Pharos alta, graves præverte ruinas:
Subveniant fatis altera fata meis:*

*Et quem non potuit 5 Bellona nec invida 5 Pallas,
Alma jube vatem pascat ut Aula tuum.*

*Aula poëtarum quondam celeberrima nutrix,
Cum titulos Gallo vel Batavo ore legit.*

*Narissius indomiti lauros & vulnera Adolphi,
Et Venceslaus, Jollyvetusque tonant.*

*Tibia Barlæi victricem sopiit umbram,
Christina Heinziade vate virago tumet.*

*His, precor, exemplis mote, O mitissime Regum,
Dignare indigena, quantus es, arte cani.*

*Cumque Tuis totum meritis compleveris orbem,
Pars mihi de multis una movenda 6 venit:*

*Quique prius Caroli cineres & prælia Magni,
Et cecini audaci parta tropæa tuba,*

*Affinisque Tui, grave sum diffundere Nomen
Ausus in Ebas Occiduasque plagas,*

*Nunc patere Augustos vati patuisse Penates,
Quà dicam laudes, REX FRIDERICÈ, Tuas,*

*Imperiique decus, quo nulla beatius ætas
Supputat à cunis Svecia cana tuis.*

Nec mihi materiam bellatrix Ursa negabit:

“ Et pius est patrie facta referre labor:

*Obvia quæque tument titulis vatemque reposcunt
Vastaque cursuris 7 area laudis hiat:*

Ausa

4 vide p. 101. n. 30. 5 sub nominibus Bellonæ & Palladis heic duplex illud timentium intelligitur, quorum altero ut miles, altero ut Academicus per aliquot annos gravissus sum. 6 vide p. 290. n. 2. 7 translate, amplissima materia datur cantandi heroum laudes.

*Ausa ducum clamant, operosaque gloria rerum,
 Gloria carnivoris non abolenda rogis.
 Ardua confiteor, res est cantare Tiaras,
 Terricolasque aequè concelebrare Joves.
 Sed quas alma dabit non vires gratia? quid non
 Mascula spes, & ovans ambitus audet opus?
 8 Tityrus amissis 9 gracili testudine agellis
 Ingemit, & sterili gramine 9 pascit oves.
 Mox voto gaudens, & Mecenate beatus
 10 Ostentat segetes collaque dura boum.
 Post 11 punctus titulis 12 divina Ænëide Smyrnam
 Provocat, & mentem, grandis Homere, tuam.
 Ad Te igitur supplex orantia brachia tendo,
 Numina da votis, REX pie, prona meis:
 Detur ut angustis caput exertare tenebris,
 Et sperare citum gaudia nostra diem.
 Regius ut merear, si fas, audire Poëta
 Exiguo jussus pascier ere stipis.
 Sic tua Te bonitas, sic Te Clementia servant,
 Securum Pietas & tueatur 13 Ebur:
 Sic 14 Orchestra graves focillet fida labores,
 Duret & in curas Aula operosa Tui:*

Sic

8 allegoricè Virgilius. 9 i. e. stilo humili scribit Bucolica. 10 stilo mediocri Georgica. 11 ambitione extimulatus. Metaph. Cic. *Si ignominia pupugit, si quid tenebrarum offudit exilium.* Idem: *Tu quid dicis? unum enim pungit, ne neglectiores esse videamur.* Ovid. *Donec eram sospes, tituli rangebar amore, Querendique mihi nominis ardor erat.* 12 i. e. stilo sublimi Ænëæ gesta decantando ipsum laceffit Homerum. Ovid. *Ipse per Ausonias Ænëia carmina gentes Qui sonat, ingenti qui nomine pulsat Olimpum, Meoniumque senem Romano provocat ore.* 13 Metonymicè Thronum. 14 Senatus. contin. pro contento, vide p.125, n. 61.

Sic flectas famulam frænis felicibus Arcton:

“Sic ad pacta Tibi sidera tardus eas!

AD

CELSISSIMUM atque MAGNIFICENTISSIMUM

SENATUM

REGNI SVEDICI,

1734.



*Randis adorandæ triplicis Futura Corona,
Et Septum prælustre Throni, quæ temperat Arcton
Aurea pacato FRIDERICI gratia nutu,
Disponitque suis Prudentia fata i Tiaris:
Majestas augusta Virum, 2 quos vindicat ensis
Fusque datum Sceptro, totque inconcussa per annos
Imperii facies, & formidabile terris
Nomen, & aterni regnatricis purpura Magog.*

*Si licet, & tantas vox stridula demeret aures,
Sistite magnarum versanda negotia rerum,
Sistite diffusi curas & pondera regni,
Dum mea Semideum turres & limina Regum
Calliope pudibunda subit, nec longius audet
Ferre pedem, pavitatque tremens ante ora Leonum.*

*Magnanimi Herôes, & fidi Regis 3 Achates,
Indulgete mihi vocem, juvet atque poète
Paulisper non esse graves, dum Sceptra Deosque*

Allo-

1 Tiara pro corona regia, regno. Signum pro signato. v. p. I. n. 6. 2 id est, quos Justitia sui vindices fecit, 3 Synechdochicè fidissimi comites, vide p. 105. n. 20.

*Alloquor, atque phrasas Soliis 4 infantia dignas
Nescit, Vestra rudi commendet gratia lingua
Eloquium, & placidi timidis subscribite votis,
Indignasque vices & lamentabile fatum
Usque meum dominas blandi deponite in aures,
Connixi in melius pollenti vertere Svada.*

*Non hic amissos (nec fortè licebit) agellos,
Neve stipem, Bellona, tuam repetisse laboro.
Iusta srenascentis cuius alimenta spalestra
Sufficiant, animosque mares & pabula laudum.
Non hic, non inquam, celebres studiosus Athenas
Ambio, quò torquet sua 6 fulmina Rhetor anbelus,
Inque vices variè 7 teres 8 enthymema rotatur.
Longa laceffitam mutarunt tædia mentem,
9 Chrysalus & nostri satur æris hirudo retorfit.
Tarda mihi vitio nature lingua laborat,
Vixque liquent faciles interprete deside sensus.
Adde quod 10 angustis timet 11 impallescere chartis
Libera mens, cujus semper sollenne moveri.*

P p

Me

4 dicitur translate *infantia*, cum quis rem aliquam novit, quam tamen explicare non potest. Cic. *malim equidem indiseratam prudentiam, quam stultitiam loquacem.* 5 de novo inguentis belli. 6 ponitur aliquando *fulmen* pro eloquentia vehementiori, incitato, ardente. Cic. *insanire tibe videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina.* 7 *teres* per translationem est æqualis & constans in se, qui ab alio non quærit quid faciendum sit, sed ipse per se invenit. Horat. --- *totus teres atque rotundus.* Quintil. *teres vox in disputationibus.* 8 *Enthymema* propriè commentum, vel commentatio est, ἀπό τῆς ἐνθυμηῶν, quod est mente concipere, animadvertere, considerare. Ex hoc illa Rhetorum sunt ex contrariis conclusa, quæ ipsi Enthymemata appellant. vide p. 176. n. 98. 9 v. p. 283. n. 21. 10 Meton. effecti pro efficiente, quippe quod vita studiis impensè incumbens liberior mentem quodammodo angit angustatque. 11 vide p. 206. n. 16.

Me juvat 12 explicitis calamo 13 certare Camænis
 Præsenti, vivaque famem vitare Poësi,
 Et nomen sperare novum, quod fama, vel ille
 Fortè probet, pigris cui nunc ars tota 14 quiescit
 In 15 speculis, nucleique vicem pars corticis implet:
 Praxin amo, praxin didici, quantumque licebit,
 Certum est in Patriæ laudes impendere totam.
 Prima nec officium temerè mea talibus ausis
 Offert Musa suum, decus hoc non ambio primus.
 Narssius adscitus Batava de gente poëta
 Vulnera Gustavi cecinit, Rigamque subactam,
 Et Mævam, & tanto Pomerellam vindice tutas.
 Jollyvetus Gallus Magni 17 contorquet Adolphi
 17 Fulmen in Austriacas alas, Aquilamque birostrem.
 Qvi tonat audaci Germanica bella cotburno,
 Edidit & cupido Libros Gustavidos orbi,
 Venceslaus erat Clemens. Augusta Coronam
 Heinsiade præcone suam Christina capescit.
 Tempora defectu decorum nec nostra laborant,
 Gloria nec titulis hodiè Gotha cedit avitis.
 Quocunque aspicio, subit augustissima rerum
 Materies: causas locuplètes Aula ministrat,
 Et Fasces, FRIDERICE, Tui: patet area laudum

Am-

12 id est, liberis, vacuis curarum. Seneca: --- *concussi fretum cessante vento: turbidum explicui mare.* 13 Hellenifinus. Virg. *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.* 14 simpl. pro compos. acquiescit. 15 id est, qui imaginatur se artem solidè callere, cum vix primis, ut ajunt, tacta sit labellis. Ovid. *Non datur ad Musas currere lata via.* Hinc proverbium: *Nucleum spernunt, corticem lambunt.* item. *Nucleum amisi, reliqui pignori putamina.* Plaut. 17 id est, tonat victricia arma GUST. ADOLPHI, qui Cæsareas copias passim fulminis instar prostravit.

*Ampla, Theatra patent centum pulsanda cothurnis.
 Quod si quis precibus locus hic, si quid modò vota
 Nostra valent, ultra Gangem memorabilis olim
 Ibis ovans forti clarescens, 18 Svecia, cantu.*

*Possumus æternis nomen committere cedris,
 Si Deus auctor adest, 19 sacros commercia cæli
 Si qua animant vates; calet & nunc iccta voluntas,
 Et jam nescio quid mens altius enthea 20 versat.*

*Tu modò mitis ades, solito majora canemus,
 Sufficietque favor vires, dabit ipsa feracem
 Spes animum: Tu tolle caput caligine tristi
 Obductum, sortemque leva: sublimior ibo,
 Si famæ mihi pandis iter, si detrahis umbram:
 Tu nanti protende manum, sparsasque 21 tabellas
 Collige, nec pigeat, qui nunc, prob fata! vagatur
 Nudus & esuriens, modico pavisse poëtam.*

*Hoc solum petimus, date Vos suffragia votis,
 O! Mæcenates, O! Magni Regis Achates.*

18 Apostrophe. 19 Ovid. *Est Deus in nobis, agitante calefcimus illo: Impetus hic sacra semina mentis habet.* 20 animo volvit. Horat. --- *versate diu quid ferre recusent, quid valeant humeri.* 21 naufragii tabulas. id est, leva factum, calamitatem. Metaph.

AD

*ILLUSTRISSIMOS, GENEROSISSIMOS,
 REVERENDISSIMOS, ADMODUM REVERENDOS,
 AMPLISSIMOS, SPECTATISSIMOS,
 INGÈNUOS, HONORANDOSque*
 DN. DN. ORDINES REGNI SVEO - GOTHICI;
Mæcenates, Promotores Fautoresque Summos, Indulgentissimos.

1734.

Quid



*Vid primum mediumve querar, quo sine quiescam
 Obrutus illuvie lacrimarum & mole malorum?
 Clamatum est; sed adhuc nullam patefecimus aurem:
 Pulsatum; sed adhuc tota 1 trietèride surdas
 Raucus seruo fores, & inexorabile limen,
 Inversis ferale rotis dum fracta labascunt
 Fortune vexilla meæ, dum specula anhelat
 2 Sacrum inter saxumque tremens, & scribitur omnis
 Flebilis hora mihi pronam minitata ruinam.
 Di bene! quod 3 tales mentemque auresque 3 venitis
 Insignes pietate Patres, felicibus ausis
 Confluxi in pulchrum servantia Sidera 4 Circum,
 5 Ut responsa juvent, toties * ululataque detur
 Antra patere Desum, & ** Tripodas sperare disertos.*

*Ille ego non felix tragicorum simia vatium,
 Vernaque Calliopes, statui qui vindice Phæbo
 In Patriæ decus usque 6 tubam terere atque cothurnos,
 7 Sudatosque Virum 8 pulchrique tonare labores* *Pul-*

1 *Trietèris*, spatium trium annorum. Martial. *Aspicis ut parvus, nec adhuc trietèride plena Regulus auditum laudet & ipse patrem.* 2 v. p. 194. n. 12. 3 *Tales venitis*, id est, ad misericordiam propensi estis. Hellenismus. pari ratione dicitur: *venit doctus sapientiam.* 4 *Circus* pro concilio. v. p. 149. n. 14. 5 i. e. ut me delectet tales Mæcenates responso meruisse. * *ululata* passivè, pro invocata. Statius: *At quanto melius, dextraque in sorte jugata, Quis steriles thalami, nulloque ululata dolore Respexit Lucina domum.* ** id est, Oracula. v. p. 164. n. 26. 6 *tuba* pro carmine epico. vide p. 78. *. 7 *sudatos* passivè, i. e. magno labore decertatos honores. Statius: --- *dum que per Strymona pugna, Quis Rhodope, gelidove labor sudatus in Hæmo, Enumerare vacat.* Prudent. *sudavit impar prælium.* Claud. --- *sudata marito Fibula purpureos gemma suspendit amictus.* 8 i. e. gloriolæ pugnæ, certaminis. Martial. *Hic stetit Arctot formosus pulvere belli.* Hinc *æquor pulverem*; pro arena in qua pugnatur. Statius: *Jamque in pulverem, fœcibus hortantibus, æquor Profluit,* vide p. 116. n. 52.

8 Pulveris, & viridi virtutem incidere cedro.
 Heic jaceo proprii cantator funeris eheu!
 Ceu fatis vicinus olor, stipatus & umbris
 Undique pallidulis ejuro perditus artem,
 Inque cupressiferas muto mea classica silvas,
 Omnia cum nostris cedunt contraria votis,
 Intentantque mihi certum presentia casum.
 Hei mihi! quâ tantis odiis illapsus & iris,
 Usque adedò quo te, pia 9 Patria, crimine lesi,
 Exciderem tam, crede, tuis leve pondus ut ulnis,
 Nec dum civis iners, nec 10 depontanus alumnus?
 Qvis mihi mendosos exprobret sannio mores?
 Qvis maculam vitæ presentis durus inurat?
 Non mihi turpe ruens, redolensque 11 Caballus amurcam
 Mascula communem dicturo carmina fontem,
 Ceteraque objiciet deliria dulcia vatam.
 Scilicet involvunt cæcæ me 12 somnia culpæ,
 Et malè suspectum premit ignorantia nomen.
 O! Patria, O! Patriæ justissima Nomina, Patres,
 Est quibus imperium, rerumque exacta potestas:

P p 3

Qui

9 Apostrophe. 10 Depontani dicuntur senes sexagenarii, qui de ponte dejectabantur, h. e. suffragio, quod de ponte ferri solebat, privabantur, Unde locus factus proverbio: sexagenarios de ponte dejicere, id est, natu majores, perinde quasi deliros, & ad omnia vitæ munus inutiles in otium rejicere, atque ab omni functione negotiorum relegare. 11 Taubmannus vinum poetarum Caballum facietius quam verius dixit, facili negotio lactatus & inebriatus Ipse hisce Horatii versibus: Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt, Quæ scribuntur aqua potoribus, & mox: Vina ferè dulces oluerunt mane Camæna, Laudibus arguitur vini vinosus Homerus, Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma Profuit dicenda, & paulo post: --- non cessavere poeta Nocturno certare mero, putere diurno. 12 falsæ opiniones.

Qui vigili causas 13 solidum rimamini ad 13 unguem
 Lumine, & intortum recto secernitis equi,
 Respicite indignam miseranti numine sortem
 Vatis, & exhaustos trietéride triste labores.
 Surgite Vindiciæ nostri jam jamque labascens
 Ocius exertum caput ire nigrantibus umbris,
 Et focillatum stipe Vestrum ducite in auras
 Præconem, Fameque focis admittite 14 Eoptam.
 Nondum deficiunt me roborâ, 15 calcar honesti
 Subdite cursuro, & fomenta jvantia cursum:
 Dicite materiam (nec onus detrecto) canendi:
 Explore humeros vatis, num ferre recusent
 In Patriæ laudes quicquid conjuret & usum.
 Sive per æratas acies 16 sudataque bella
 Ire jvat, totamque sago circumdare Balthin:
 Sive togam, & placidis FRIDERICI moribus orbem
 Dicere compositum, & miti fora nubere oliva.
 Nusquam abero, residem me nulla redarguet etas.

Ergo, Patres, precibus si quis locus aure bibendis,
 Si quid vota valent undanti corde profusa,
 Maturate citum passo suprema levamen,
 Et 17 Jove contacto vitam revocate clienti:
 Efficite in Patria Patriam reperirier, extra

Quæ-

13 id est, exactè exploratis. 14 Synecdochicè vatem. v. p. 182. n. 40. 15 sti-
 mulos, incitamentum. Ovid. Excitat auditor studium, laudataque virtus Cre-
 scit, & immensum gloria calcar habet. Idem: Acer & ad palma per se cur-
 surus honores, Si tamen horteris, fortior ibit equus. Idem: Sint Mæcenates,
 non deerunt, Flacce, Marones. 16 vide supra. 17 fulgurito, translâtè fatis jam
 jamque succumbenti. Ovid. Non aliter stupui, quam qui Jovis ignibus ictus
 Vivit, & est vite nescius ipse sua.

*Querere ne invitum peregrina alimenta bacillo
Durius innixum tristi me cogat egestas.*

AD

*PERILLUSTRES, GENEROSISSIMOS, NOBILISSIMOS,
AMPLISSIMOS SPECTATISSIMO Sque*

*DOMINOS INTERESSENTES ac Plenipo-
tentiarios GENERALIUM REGNI Vectiga-
lium redimendorum.*

1734.



*Rande Sodalitium, gravis Ordo Virumque Corona,
Quos Genus & Virtus & adulta Scientia rerum,
Sincerus justique tenor, respectus & equi
Commendat patriæ, & tota de gente merendo
Altius extollit, quantumque immane 1 Arabarchis
Segregat à 1 Solymis, & 2 hiant ad fœnus 3 Apella.
Qui mala corrigitis communia, quicquid & olim
In patriæ frugem potuit Socordia marcens,
Vel nequam peccare dolus, petulansque libido.
Quorum vindiciis tandem nec deside cura
Publica res 4 priscum juvenescens surgit in 4 aurum,*

Emu-

1 Publicanis Hierosolymitanis. Arabarches propriè dicebatur publicanus, qui præerat exigendo vectigali de pecoribus, quæ ex Arabia in Ægyptum adducebantur. Juvenal. *Atque triumphales inter quos ausus habere Nescio quis titulos Ægyptius aut Arabarches.* Appellabatur & Alabarches seu Halobarches, quod latine salis præfectum sonat. Erat autem is præcipuus honos apud Ægyptios. 2 Hic pro concupisco. Seneca: *quicquid accepit integrum devorat, & semper ad spem furci hiat.* 3 recutitus, circumcissus Judæus. Horat. --- *credat Judæus Apella, Non ego.* 4 in aureum seculum.

*Æmula & optatas Saturni ostentat aristas,
Dum Regni reditus & vectigalia duplum
Augescunt, sentitque suos Solertia nervos,
Et pulchro graditur junctim comes Cusus honori.*

*Vester amor Phæbi studiisque immersa voluptas,
Et nondum saturata quies, Heliconeque manans
Gratia rara facit (quâ blandè erecta fovetis
Pignora Pieridum) quod confidentius ausim,
Musagete, Vestras, novus advena quamlibet, aras,
Tangere, & ractus opem devota voce mereri,
Indignamque vicem, cumulataque sortis iniquæ
Damna queri, fatumque pias deponere in aures.*

*Omnia procedunt miseris contraria votis,
Nec licet implicitos fatorum solvere nodos,
Collaque continuis jam penè & perusta catenis:
Circumventa malis jam spes mihi jamque labascit,
Et sequitur pronam nullo curante ruinam.*

Nil 9 Orchestra mihi, nil 10 Pulvinaria in nictant: Nil

5 per Metalepsin annos. Virg. --- post aliquot mea regna videns mirabor aristas. h. e. post aliquot ætates, sive annos. 6 utilitas, commodum. 7 necessitate compulsus, coactus. 8 id est, vindicare vitam continuis ærumnis obnoxiam. Metaphora sumta ab operariis bobus, quorum colla premendo arctius & incumbendo atteruntur. Ovid. *Subducunt oneri colla perusta boves.* Horat. *Ibericis peruste funibus latus & dura compede.* 9 Orchestra pro Senatu, sive sessione primorum. Juvenal. --- *similemque videbit Orchestræ & populum.* Propriè Orchestra dicebatur locus inter scenam & cuneos Senatoribus ad spectandum designatus. derivatur autem à πῶς ἄνω ἕρξομαι, h. e. saltando, quod in ea gesticulatores, histrionibus in scenam abditis, populum saltando detinerent. 10 Pulvinaria propriè fuerunt Cæsarum, Regum & Principum lectisternia. Item lectuli in templis Diis dicati, in quibus illorum simulacra solebant reclinari. Sternebantur autem illi, quoties decreta erat supplicatio. Ceterum h. l. pro ipsis Palatiis, & Regum Principumque domibus accipiuntur. Ovid. --- *& pulvinaribus aliis Dignior est.* 11 simpl. pro comp. annuntiant, annunt, Festus: *Annictat, saepe leviter oculo annuit.*



Nil ¹² Tripodes, nil antra Deum ¹³ Cortinaque fantur.
 Heic miser inque dies ultra miser ¹³ hereo vates
 Auxilio nudus, sed onustus mole laborum
 Pauperieque gravi, fatali peste poëtis,
 Dum mea sub prælo fervente poemata sudant,
 Et limata novum promittit opella nitorem.
 Tempus adest partus, premit hora; at triste parentem
 Robora deficiunt ¹⁴ nitendi iusta, ministras
 Lucina tardante manus, votisque repulsis
 Indeploratus rigida consumor arena.

Ergo fatigatas ad Vos nunc exsero palmas,
 Excutioque tumens lacrimarum vortice pectus,
 Insignes pietate Viri, rerumque potentes,
 Lumina Musarum, Decus & Calcaria fortis
 Eloqvii vatisque ¹⁵ Furor, quos mitius afflat
 Ingenium, & ¹⁶ sanguis generoso incoctus honesto
 Temperat, agnoscitque suam Clementia prolem:
 Subvenisse boni rebus dignemini egenis,
 Et focillatum stipe parva animasse poëtam.
 Non erat officii, confidite, gratia nostri
 Elingvis, meritisque dabunt oblivia pœnas:
 Muneris, obtestor, tanti, dum flumine vivo
 Fervens vena salit, ¹⁷ sapit & mens atbera purum,

Q 9

Præ-

¹² Oracula. contin. pro contento. v. p. 164. n. 26. ¹³ in ambiguo sum. Metaph.
 vide omnino pag. 37. n. 24. ¹⁴ Simpl. pro compos. entendi, pariendi. ¹⁵ Meton-
 effie. pro effecto. i. e. Vos Patroni, qui benevolentia vestra ac favore furorem
 poëticum mihi afflatis, futuro præconi & buccinæ laudum vestrarum. Cic. Poëtas
 mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari. ¹⁶ phrasis si-
 militatis Persio: incoctum generoso pectus honesto h. e. temperatum, compositum.
 Metaph. ¹⁷ i. e. dum sit mens sana in corpore sano.

*Præco gratus agam, & totus tantusque perennis
Buccina, si qua valent vatum tentamina, fiam.*

Sic 18 juvenis vultu Vobis ridebit amæno

18 Janus, & incipiet letos protrudere menses.

Sic ab utroque vagas vecturus cardine gazas

• 19 Velleris aurati classem Neptunus & Aura

Portubus infundent Svecis & lucra Melero

Centupla, 20 veliferam pressante crepidine 20 nubem:

Mercurius totas stipabit merce tabernas,

Horrea flava Ceres segete, & portoria 21 fruge,

22 Dis chalybe & ferro: crescet vis multa metalli,

Densaque turgentes loculos sestertia rumpent!

18 novus annus. 19 h. e. divitem, pretiosis mercibus onustam, qualis illa Argo navis, quæ Jason unâ cum flore juventutis Græcæ Colchidem navigavit, vel-
lusque auream à Medea adjutus in Græciam reportavit. 20 translâtè multitudinem
navium. 21 Plutus divitiarum Deus. v. p. 219. n. i. 22 Fruges, Frux Frugis, di-
citur generaliter quicquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus.

AD

CELSISSIMUM atque ILLUSTRISSIMUM

SENATUM

REGNI SVEO-GOTHICI.

1721.

O Rdo * severe Patrum, quos supplex Balthis adorat,

Et tutelares suscipit Ursa Deos:

Qui gravitate Numas, legumque rigore Lycurgos,

Marte datis Fabios Nestoras arte catos:

Quos

* gravis, Virg. Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis. 1 exprimitis,
facto ostenditis vos esse.

Quos candore solo fixos, virtutibus Axi,
 Hinc toga Semideos, vindicat inde sagum.
 Dum 2 sudant angusta mares 3 Capitolia curas,
 Suffultumque 4 tremens jugiter itis 4 Ebur:
 Si licet, exigua suspendite 5 Nestora pausa,
 Fas sit & 6 Herculeis rebus inesse moram,
 Cernua dum vestrum dium 7 pulvinar adorat,
 Lenius & lambit summa Thalia pedum:
 Discite anbelantem fatorum turbine causam
 Militis, indignam discite, queso, vicem.
 Ille ego ludibrium malefida flebile sortis,
 Quem fovere Scholis Mars & Apollo suis;
 Nunc vagus exul utrinque, mali quæ 8 semina tanti?
 Quid nisi tempestas cæca nec æqua fuit:
 Ille ego cui nuper gracili subnixa cothurno
 Melpomene Augustos struxit anbelata rogos:
 Flevimus audacis grandem 9 Gustavidos Umbram,
 Cujus adhuc Orbis Nomen & Arma stupet:
 Flevimus, at si quæ sublimius ire superbus,

292

Nitier

2 sudare activè Metaphoricè. v. p. 300. n. 7. Cic. *Sudandum est his pro communibus commodis.* 3 plur. pro sing. Synecdochicè Senatum Regni in arce Regia indigitamus. *Capitolium* autem Templum erat Jovis in clivo Tarpejo, dictum à capite (*Toli* cujusdam) hominis ibi reperto, dum fundamenta foderent. Ante enim Tarpeja arx dicebatur à Virgine Vestali Tarpeja, quæ illam Sabinis prodidit. Hodie *Sancta Maria ara Cæli* appellatur. 4 nutans regnum, bello accisum. Meton. 5 Metonymicè prudentia consilia, quorum dexteritate *Nestor* in expeditione Trojana Græcorum rebus profuit. 6 *Herculeos labores*, proverbiali hyperbole pro immensis, & pæne insuperabilibus, accipimus, quique vires desiderant Herculeas. Propert. *Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama, labores Herculis.* 7 vide p. 304. n. 10. 8 translata causa, auctor. Cic. *hujus luctuosissimi belli semen fuisti.* 9 gloriosissimæ memoriæ *Caroli XII.*

Nitier & 10 cera fortè labante puter,
 Icarus in medio mergar temerarior alto,
 Piërin & vindex flamma repente voret:
 Ille ego cui toties quiritanti obmutuit aula,
 Respuit & streperas ambitiosa preces.
 Heic jaceo, & surdas questus disperdo per auras,
 Indignorqve graves tardius ire dies:
 Clamito, pulso, quëror, speroque impigrior, hoc est,
 " Nil profecturis littora bobus aro.
 Omnia quin cedunt miseris contraria votis,
 Lethæaqve jacet mersa palude salus:
 Fatidica ferale premunt oracula 11 Delphi,
 Et 12 Dodonaëum surduït omne nemus.
 Silicet hæc rerum est, Proceres, nunc forma mearum,
 Ut peream, vestra ni lever, Irus, ope.
 Triste laborarem si non 13 urente Necesso,
 Cogërer & jam nunc penè suprema pati.
 Parcius illustres quërulis quiritatibus aures
 Lassaret tremulo rauca Camæna sono.
 Ergo agite, O Patres, Gothici Fulcimina Regni,
 Auribus has aquis imbibitote preces:
 Respiciite indigenam post limina Vestra jacentem,

Annui-

10 ceratis alis, quibus Icarus volaturus in mare decidit. Horati --- ceratis o-
 pe Dadalea Nititur pennis vitreo daturus Nomina ponto. 11 Delphi, oppidum
 Bœotiaë juxta Parnassum, dicta à Delpho Neptuni filio ex Melampo Deucalionis fi-
 lia suscepto. Hic Apollinis erat oraculum toti terrarum orbi celeberrimum. Unde
 & ipse Apollo Delphicus dictus. Ovid, Hac mihi si Delphos Dodonaque diceret
 ipsa, Esse viderentur vanus uterque locus. 12 vide pag. 12. n. 99. 13 Urere
 per translationem pro cruciari, dolore cogere, angere. Virg. Urat atrox Juno,
 Tercit, uro hominem,

Annuite & votis Numina prona meis!
Aut me Balthiaco dimittite 14 littore fucum,
Et modico profugos ære levate pedes.
Omne solum natale piis, ceu piscibus æquor.
Scilicet est, spires aère cujus, idem:
Aut reducem Gothicis nunc immiscete maniplis,
Surgere & in titulos Marte jubete novos.
Sic jam jamque ruens iterum se specula vatis
Eriget, in Patrios officiosa lares:
Sic Vobis meritam cumulos, laudisque trophæa
Devotus statuet non moritura cliens.

14 id est, hominem ignavum, & Reipublicæ inutilem. Translatum non inventum à fucis, qui nec mellificant, nec operam aliquam præstant apibus, sed prætextu calefaciendi alvei, foetusque fovendi, illarum operas & mellificia absumunt.



CARMINA JUVENILIA.

CHORUS SYMPHONIZANS,

Sive
 SOTERIA;

Viro Humanissimo, MUSICO & POETÆ Doctissimo
Cultissimoque,

DN. OLAO LINDSTEEN,

Cum Geniale suum ONOMASMA, in Oenopolio suburbii Australis
 Holmiensis HAMBURGUM dicto, auspiciatò celebraret,
 lyra quælibet cantata.

ODA.

Dum ludere noster **OLAUS** arvet
 Praclarus arundine docta,

In iubilâ Phœbus it: Aura favet:

Mulcet 1 Ceres ilia 1 cocta:

Colludia Juno, Minerva, Venus

Miscent sua: casta Cupido

Interferit arma, joci omne genus;

Extrâ fremit atra Libido.

Salve bona, blandula bella Dies,

* Amphione persona toto;

2 Sufflaminâ namque Canina Qvies

Vult pauca, labore remoto.

Latemur, oremus, amica meis

O! Nomina, quotquot aditis

Spectacula, quâ sua tendit eis

Umbrâ 3 Hamaburgica vitis.

Heic gaudia noster opima loci

Effundere gestit Apollo,

Dum nubilus audet, adeste proci,

Inserpere 4 Filia collo.

Est dos sua maxima sola sibi:

Hec fœnerat orbis amorem:

Vix sudor ubi, modò munus ibi:

Cantu superabit olorem.

Tri-

1 Metonymicè cerevisia. * vide p. 78. n. 51. 2 translâtè ferias, vacationem ab opere per aliquod tempus. D. August. Aterius noster sufflaminandus est. tanta enim illi erat velocitas orationis, ut vitium fieret. v. p. 135. n. 65. 3 Oenopolium Hamburgum dictum. 4 lyra scil. alexâ exponenda.

*Tristes, DEUS alme, retrude foras,
Feralia nomina, morbos;
Vitæ trahat optima Parca moras:
Soles Amor auferat orbos:
Curet Venus usque nitere focos:
Lectum novum occupet ignis:
Pro funere suggerat s; Ida jocos:
Faustis ruat 6 orbita signis.*

*Sic perpete flore virescat io!
Circi decus ille canori:*

*Sic vertice vernet in Aonio,
Cu cessit, O LAUS, honori.*

*Lux sæpius hæcce recurrat ovans,
Omni sine nube serena:*

*Lux altera læta subinde novans:
Lux cælite munere plena.*

*Jam consule, 7 Cygne melode, boni
Viles streperi anseris ausus,*

Forsan melioris amica soni

Gratos Tibi tibia plausus

*Tollet, gelidum 8 Cytheræa thorum
Cum det recalescere flamma,*

In juba digna ciebo chorum

Pindi, per amænum Epigramma.

In

5 Metonymicè Venus. y. p. 213. n. 8. 6 Zodiacus. 7 culte Vates Metaph.
v. p. 14. n. 39. 8 cognomen Veneris ab insula Cythera contra Cretam, in quam
ferunt Venerem primum vectam concha marina. Degenerat hoc derivativum à na-
tura sui primitivi, corripit enim primam syllabam, quam primitivum producit. Virg.
*Est Paphos, Idaliuque tibi, sunt alta Cythera, Idem: Parce metu, Cytheræa
manent immota tuorum Fata tibi.*

In Albo ejusdem.

**DOMINUS
OLAUS LINDSTENIUS
POËTA ET LITICEN
CLARUS.**

Anagr.

**NONNE PLACES SEDULITATE DOMUS;
INCLARUISTI LITUO?**

Q*ui pius in pulchrum tot Vates colligit orbem,*
NONNE PLACES Phæbo SEDULITATE DOMUS?
Umbra nube comas io! 1 baccaris. 2 INCLARUISTI
Nonne satis LITUO? Carmine nonne satis?

1 *Baccar*, herba radice odorata, quæ contra serpentes, capitis dolores & fascino valet, coronisque ideo admisceri solet. Græci *Melamproson*, Russici in Gallia *Diva Maria chirothecas* appellant. Virg. -- *baccare frontem Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.* 2 *versus Spondaicus. Syncope.*

**THRENODIA in PATREM
GUSTAVUM
LITHOVIVM,
PASTOREM & PRÆPOSITUM Limingoënsium in O-**

strobotnia fidum. 1715.

Ad Melodiam Rumanam: *Wid et Berg us en Dahl ec.*

Tan-

T ^{**} ^{*} ^{*} ^{*} ^{*}
Andem soporifera
Heic umbrosum nactus nemus
Fontis 1 propter murmura,
Lacrimas jam ne severus
Carpserit quis teneras,
Mecum madidis
Luctu oculis
Indulgebo,
Et movebo
Ornos planctu rigidas.
Heic depastum imitus
2 Niobeâ cor querela
Juvat ire, gemitus
Citum heic, ceu Philomela,
Singulis silentibus,
Casus teneris
Orba 3 nidulis

Triste deslet,
Multis replet
Noctem quiritatibus.
Ergo prisca gaudia
Ter valete, me dolendi
Urit ardor, tedia
Quin amara jam vivendi
Subeunt heic pectora;
Hinc o citius
I radicitus
Me, Mors, messum,
Datum pessum
Vorsâ vitæ clepsydra.
Non sic fratris flebiles
Gemuere Phaëthontis
Casus 4 Climenæides:
Non 5 Evadne decus frontis
Scissa 6 virum penitus:

R r

Non

1 prope, juxta. Salust. propter Aquilam assistit. Ovid. Propter humum volat, ponitque in sepibus ova. 2 id est, inconsolabili. vide infra. 3 continens pro contento. fœtibus, pullis. Virg. --- ipsasque volantes Ore ferunt, dulcem nidis immitibus escam. 4 Climenes filie, & Sorores Phaëthontis, quæ dum interitum ejus deslent, in arbores sunt populos versæ. 5 Evadne, Martis filia ex Thebe, Capanei uxor, quæ se in rogam conjecit, audita morte conjugis, quem incredibili amore dilexit. Stadius: Turbine quo sese caris instraverit audax Ignibus Evadne, fulmenque in pectore magno Quæserit. 6 Capaneum, qui una cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cum scalas muris admovere vellet, à Thebanis tanta mole lapidum fuit obrutus, ut fulminibus à Jove, quod Deorum contemptor esset, dicatur extinctus. Ab hoc primum scalarum oppugnatio perhibetur inventa. Ovid. Cum cecidit Capaneus subito temerarius ictu.

Non sic 7 filium
Tot ad 8 Ilium
Fatis actum,
Et distractum
Rota luxit Priamus.

Ut ad tuum, Genitor,
Dulce caput, ter amande,
Toto corde queritor:
Naufragans ut Te hinc inde
Lacrimis expostulo:
Tua quoties
Subit facies,
Insensatus,
Externatus
Sto mox ceu in 8 Sipylus.

Tantis digna, Genitor,
Meritis quæ jam rependam?
Quæ æternus debitor

Solvat? nil, prob sortem flendam!
Habeo, ne minimum,
Præter lacrimas,
Quas excipias
Et doloris,
Et amoris
Ergo fufas plurimum.

Inter hæc fuffpiria
Lacrimasque o! Parentum
Decus atque gloria,
Jam valeto 10 æviternum!
Sit amica requies
Manibus tuis,
Non 11 Borysthenis
12 Petra fatus
Pium latus
Turbet, neque cineres!

** * * * SAM.

7 *Heclorem*, ab Achille occisum, à quo etiam bigis alligatus, circum Patrocli sepulchrum, Trojæque muros tractus est. Tandem ejus corpus Priamus auro redemit, idque veteri more honorificentissimè cremavit. Virg. *Ter circum Iliacos rapta verat Hectora muros, Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.* 8 *Ilium*, urbs Troadis, sive Phrygiæ, ab Illo Rege nominata, quum antè Troja à regione illa, in qua sita fuerit, diceretur. Virg. --- *ceciditque superbum Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.* 9 *Sipylus*, urbs Phrygiæ, quæ regnante Tantalo terræ motu concidit. Hiè alluditur ad Fab. *Niobes* Tantalii filiæ, quæ in saxum conversa dicitur, quoniam nimio dolore ex orbitate filiorum attonita obmutuit, ac veluti lapidescens malis dirigit. A *Statio Sipyleta Mater* dicta, quòd facta saxea turbine venti in *Sipylum* patriam rapta sit, ubi fixa cacumine montis *Liquitur*, & *lacrimis etiam nunc marmora manant.* 10 pro æternum. Epenthesis. 11 Metonymicè *Borysthenides*, id est, Mosehus. 12 *translatè immanis, inhumanus*, qui ipsos inquietat Manes, sepulcra demolendo.

SAMSO RESIPISCENS.
RHYTHMUS.

1714.

1 **C**ycladas insanas, & naufraga saxa,
Carbasa, transcurrens, securior laxa:
Credere frementi licet horrida Scylla;
Mentem sed blanda nè crede puella.

Illam non uno sinuosior tractu
Dadaleas fraudes vel jaculi jactu
Circinat heu! restuus ceu turbo papyrus,
Hinc totidem damna retorquet in gyrum.

2 Turget in dotem, referansque mamillas
Plenas promittit candoris; sed illas
Caveto: turpem nam subdola putri
Spurium lactat, & ubere nutrit.

Pacta geniali dum fides jam rato,
3 Spes tua subsidit hiscente 4 grabato:
Dedita nam 5 furtis ad basia prurit
Nupta vicini, quem seivius 6 urit.

R r 2

Felix

1 Cyclades, quæ & Sporades dicuntur, sunt insulæ maris Ægei, in circuitu Deli insulæ positæ, & sic dictæ, quòd longo ordine eas circumire necesse sit propter promontoria & scopulos, per quos navigatur cum periculo. Virg. --- sparsasque per æquor Cycladas. 2 dote superbit. Plaut. Dote freta feroces postulant sibi subservire viros: Idem: argentum accepi, imperium vendidi. 3 id est, spe felicissimi conjugii frustratus es, uxore adultera. Metaph. 4 thalamo, thoro. species pro gen. vide p. 193 n. 8. 5 furtum pro adulterio, coitu clandestino. Ovid. Sed neque me nupta didicerunt furta magistro. Idem: Nec potuit Veneris furta tacere sua. 6 Urit, est amore consumi, conflagrare. Virg. Uritur infelix Dido, flammæque facetur. Ovid. Te quoque inextincta Silene libidinis urit.

*Felix sibi visa cum possit peccare:
Crimen 7 obliquat, quod jurat amare,
Odit, & juris sibi ter pejerati
Conscia subridet, nec piget peccati.*

*Lumina devites fac cautior ejus,
Cumprimis lævum vel 8 Dipsade pejus.
Tristia portendit hoc 9 sidus & dira,
Et tacitum fulgur hæc palpebra spirat.*

*Quicquid Autumnus & crosei flores
Veris aspirant, imitatur colores
Heu! serpentinos: decor ille amandis
Stat monstris, & hydris assibilat blandis.*

*Et supplex forma valebit, capillis
Sparsis procumbens: latet anguis in illis.
Questubus à flentis vel pejus 10 peritur,
Nec, quantum lacrimis sit pondus, nescitur.*

*His labant turres, his pectus decrescit
Mascula, Herculeum his pectus liquecitur
Emicat his armis, his viribus gaudet
Sexus inermis, & fortiter audet.*

Facies

7 dissimulat, vel diluere satagit. Tractum à nautis, qui vellim obliquum tendunt, flantibus ventis transversis. Virg. *Obliquatque sinus in ventum.* 8 Dipsas, serpentis genus viperæ simile, à *Διψα* sitio dictum. v. p. 67. n. 38. 9 cometa. allegoricè nequam oculus. Lucan. --- *crinemque timendi Sideris, & terris minitantera regna cometen.* Virg. --- *nec diri toties arsere cometa.* 10 Perire mulierem ea forma dicitur, quæ deperire, & amando uti, Plaut. *tres unam pereunt adolescentem mulierem.*

*Facies venusta dum tacet, acclamat,
Dum negat, pascit, dum odit, n adhamat.
Dolor est disertus: incassum laborat,
Qui vetat hanc loqui, nam muta perorat.*

*Mulier vel mollior cera fluente,
Marmore vel durior eadem rigente:
Flectit, aut frangit, violenta vel durum,
Lubrica vel mollem, nil datur securum.*

*Tangi ni vetes, moriere pupillis
Orbatus, quotque te privat capillis,
Tot gladios capiti, tot vulnera spondet,
Filaque tot vitæ tibi forfice tondet.*

*Ergo fæmineos fuge cautior nexus,
Verbera quæis verba sunt, funis amplexus:
Est tumulus thalamus, sinus ipse feretrum,
Bruta voluptas 12 glacialeque lethum.*

*Sunt horum testes experti malorum
13 Socrates & Joseph, exempla bonorum.
Quid valeat juvenum mala fæmina pestis,
Heic jaceo Samsø sine lumine testis.*

**

**

**

APPEN-

II translâtè, concupiscit, aspirat ad capiendum. Cie. *Qui enim serius honores adhamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec satis commendati multitudinè possunt esse.* 12 figuratè inopinum, repentinum. 13 Socrates Philosophus Atheniensis, Platonis Præceptor, & Apollinis Oraculo omnium sapientissimus judicatus, qui æqualitatem in omni vita servavit, adeo ut idem semper vultus eademque frons si-
ve prosperis, si-ve adversis rebus extiterit usque ad extremum. Habuit uxorem Xanthippen supra modum morosam & jurgiosam, quam tamen mira patientia toleravit, rogatusque ab Alcibiade, cur mulierem tam molestam, domo non exigeret, *Quoniam inquit, quum illam domi talem perpetior, insvesco & exerceor, quò foris petulantium injuriam facilius feram.* Quum illam aliquando contumacius è loco sublimiore fulminantem diu tolerasset, & postremo aqua ab ea esset perfusus, cœpit ridens dicere: *Sciebam Xanthippen, ubi detonisset, quandoque pluituram.*

APPENDIX.

FAMÆ AC ÆTERNITATI

VIRI De Patria & Orbe Erudito optime meriti, Perilustris atque Excellentissimi DOMINI,

D^N. JOHANNIS FRIDERICI VON STAIN,

S. R. J. Lib. Baronis & Eqv. Ordinis S:ti Huberti;
Augustissimo REGI Sveciæ, & LANDGRAVIO Hassiæ.
à Consiliis Intimis;

Ut &


Regiminis Hasso - Casseliensis PRÆSIDIS Splendidissimi
Desideratissimique,

Cum Cassellis die $\frac{1}{27}$ Febr. A:o MDCCXXXV placida morte fati cederet,

Monumentum hoc erectum iussu

GUSTAVUS LITHOU

Ostro - Botnia - Svecus, Signifer.



lc recubat nostri prælustris 1 Adorea secli,

Cujus in innumeros 2 Cera recurrit Avos.

STAINIUS ille Decus Svecæ indelebile gentis:

Ille tui Sidus nobile, Cæte, soli,

Cui socias junxere manus Themis alma Fidesque,

Et non fucata Religionis amor.

Extulit hic angusta suum Prudentia limen,

Et campum ingenio fata dedere parem:

Hic

Hic posuit Doctrina suas & Gloria laurus:

Hoc Philadelphæa est Bibliotheca loco:

Et puer, & juvenis Musis impalluit, & vir,

Nec lassare Senem tot valere Dea.

Prendimus hic pulchro conspersum 3 pulvere belli

Thesea, & 4 adversas, Marte stupente 4 notas.

Prendimus hic Cerebrum formantis Nestoris Aulas

Grande, & Ulyssæam, sed sine labe, Togam.

Hoc impune premi nequii bona causa Lycurgo,

Horruiit & tricis se plicuisse nefas.

Hic mansura nitens fixit tentoria Candor:

Hic Speculum veri cernere amoris erat.

Magnanimus, constans, in se teres atque rotundus,

Amula Socraticæ gaudia mentis alens,

Invidia fregit rostrum, doluitque furori:

Cum posset, vindex noluit esse sui.

Cur moreris, Vir Magne, Tuosque incidis honores,

Subtrahis ac Orbi, commoda tanta, Pharon?

Heu quantum Gothicis, STAINI, plorabere; Delphis!

Hassiacis quantum, publicus ille rogas!

Ipsa Suum longè 6 suspirat Purpura Achatem,

Et mulcet cineres Regia gutta pios.

Invida Te nobis rapuerunt sidera. Quantum est,

Et Cælo & Mundo testibus, esse Bonum!

* *
*

* *
*

* *
*

GRA-

3 vide pag. 116. 52. 4 vide p. 132. n. 38. 5 Metonymicè doctis. v. p. 308. n. 11.
6 suspirare activè per translationem pro desiderare. Ovid. Invenies aliquem qui
me suspiraret ademptum. Juvenal. Suspirant longo non visam tempore matrem.

GRATULATIONES.

Ad Nobilissimum Clarissimumque VIRUM Juvenem
DN. GUSTAVUM LITHOU,
Legionis Uplandicæ SIGNIFERUM, majori Sparta dignissimum,
Cum Orationem suam Panegyricam exequialem
CAROLI XII. Svec. Goth. Vandalorumque REGIS
Gloriosissimæ dictam memoriæ, juxta instantissimum multorum
desiderium iterata editione publicaret.
Anno Salutis Mundi MDCCXXIII.

LITHOU, Flos Charitum, Phœbi Decus, alta Minervæ
Gloria, Piëridum nobilitate Choro,
Svedicæ Princeps non inficiande juventæ;
Et patriæ jam nunc Buccina clara tuæ,
Dum vitam *Caroli*, nomen sublime Monarchæ
Gotthorum, ac belli grandia gesta canis;
Dum seqveris Regem per regna, per arva, per urbes,
Ac bellatoris parta trophæa notas:
Dum seqveris *Carolum*, per bina novennia, quorum
Altera pars lætans, altera tristis erat,
Illustrem cuncti Genium miramur & artem,
Atque Maronæi verba disertæ sili.
Admiramur opus, quo non præstantius ullum
Viderat in summis Delius ipse Scholis.
Magnum est, Herôas parili cantare cothurno,
Et verbis magnis maxima facta seqvi.
Mœonides olim fortem celebravit Achillem,
Dardaniqûe Maro texuit acta Ducis.
Docte LITHOU, *Caroli* res dignis versibus æquas,
Et veterum laudes arripis atque locum.
Dum quondam magni *Gustavi* Regis *Adolphi*
Barlæus Batavus facta stupenda daret,
Ejus & æternos cineres Sveonumque dolores,
Cum subiit pro te, Teutona terra, necem,

Extulit id Carmen totum gens docta per orbem;
Atque Evangelici concio mœsta soli:
Præmia Christinae transmisit gratia vati,
Aurea tempestas ex aquilone venit.
Non minor hic LITHOU comitatur gloria nostrum
Per Boreæ vastas Teutoniæque plagas:
Præmia Majestas tribuit, Procerumque corona,
Nec piguit tanti svave laboris onus.
Gratulor ingenium tibi, Nostris grator & oris,
Qveis insperatum contigit hocce decus:
Gratamur nobis etiam, Sveonesque Gothique,
Possidet & Doctos Svecia nostra Viros.
Cumque tuas siciat Musas, celeberrime LITHOU,
Qvilibet, ac proprias primus & imus avent.
Cogeris has Veneres iteratæ tradere luci,
Idque nova cultæ dexteritate manus.
Nominis ergo tui decus immortale vigebit,
Immensum docti qua patet orbis iter.
Sic Caroli laus & LITHOU florebit in ævum,
Illa sago Martis maxima, & ista tuba.

Scripte ac transmisit Alingsosia

LAUR. FORSSELIUS.

Ibid. Paf. & Pr.

**Öfver then Förträffelige Poëtens,
Fendrickens,
Edel och Manhaftige Herrens,
Herr GUSTAF LITHOUS
Sinnrika Verser:**

SE här en Poësie, båd' diup och liuf och witter;
Du lärda Swenska Werld, afbörda dig din skuld!
Wår LITHOU för Demant ey wiser glas och glitter,
Ey både art och konst Hans fiäder warit huld;

Hans änne Ornen likt åt Solens Eldhaf tittar,
Sår högt med fria steg och stupar ey omkull;
I hvarje Skalde-rad en dyrbar Pärla sitter,
En hvar är mera värd än Gudhems myckna guld;
Men, GUD wet, hvar man guld i dygd och wisshet hitter,
En ting är mera värd än Ophirs röda mull;
När döda Heltars lif i LITHOUS ädra gåsler,
Man egna Minnet Hans i bergfast Runa låser.

Johan Göstaf Hallman.

Laudibus fortissimi SIGNIFERI,
Nostriq̄ue avi Poëtarum facile Principis,
DOMINI GUSTAVI LITHOU,
Carmina sua edituri Excellentissima.

Sic exegit Opus, quod gemmas vincit & aurum,
Ille Gothi LITHOU buccina clara sagi,
Ille togæ Lyra culta tuæ, Manheimia, & avi
Delicium nostri, Pieridumqve stupor.

Nectare nempe suo solide edulcavit Alumnum
Pallas, Mars triplici muniit are suum.

Acer enim Castris Carolinis signa ferendo,
Se, lituo & gladio, præstitit esse Virum.

Ast ubi detonuit Boreæ feralis Enyo,
Unica cura Viri, dia Poësis erat.

Quam sic excoluit, sic castigavit ad ungvem,
Ut Vati parilem vix reperire queas.

Sublimis Stilus est, exquisitissimus ordo,

Verbaque magnificum singula pondus habent.

Obvia quæque tument cultu, ut plaudatur ubiqve,

Afferat & quivis cultius esse nihil.

Ast quid iners tentem tanti præconia Vatis?

Me pede pauxillum metior ipse meo.

Hoc faciant fluidæ quibus est sua gratia lingvæ,

Hei mihi nil Clarii, Piëri, mellis oles!

Vota tamen sunt! meritos comitentur honores

Præmia, quò poterit latius ire furor.

Nolit ut egregiis Auctor desistere coeptis;

At natale sibi vindicet Urfa Decus!

Ingenua certe, sed vix ac ne vix qui-

dem sufficiens Elegia, ad supr. Jud.

Reg. Svec. Advocati Ordin.

BRYNOLPHI HESSELGREN.

In Carmina

Felicissimi ac divini ingenii Vatis

DN. GUSTAVI LITHOVII SIGNIFERI

Epos.

Patria quid dubitas genuinum agnoscere alumnum
Mitibus alloquiis, dextraque levare jacentem?

Pone novercales in pignus amabile nutus

Mater amans, & crede tuum, quem rite Triones

Phœnicem potuere tui tibi gignere vatum:

Ad laudes fatale tuas ab origine prima

Quem triplices unxere Deæ, sibimetque dicatum

Fortia grandisonæ docuerunt pleetra Camœnæ.

Provocat hic magnos calamo surgente Marones,

Pindaricoque vehit Virtutem ad sidera cantu

Celsa, nec est aliud Vatis quam nectar & ambra.

Nomina quot Noster non immortalia fecit

Arte sua, & putri vetuit marcescere gleba?

Aurea testis erit Carolis, sunt cætera testes

Laude sua satur & turgescens turba Virorum.

Est ubi sed merces? *tam pingui taurus in arvo*

Cur *macroscit* hians, & inani turgidus aura?

Quid juvat Aoniis nunc impallefcere Musis,

Et pulsare lyram Phœbéam, cum labor omnis

Vanus & incassus sterili desudat arena?

Miror pæne stupens vatum pertristia fata,

Indoleoque malis. *Vaccinia nigra legitur,*
Alba lignifera cadunt: jam nunc natalia sordent,
Sed peregrina juvant. Batavo sic esse beato
Barlaeo licuit, parvo pro carmine quondam
Pingvia cum vati libavit thura Melerus,
Inque sinum fulvo Gotha Juno decidit imbre,
Scilicet in feris oritur vix talis aristis
Egregius Phoenix, qualem nunc Urfa superbit.
Ergo laboranti mole aspirate malorum
Patroni Aönidum, nec enim favor iste pigebit:
Ne defint, curate, pia sua pabula alaudæ,
Advena nec cicurem grus secum allecitet olorem.
Cætera, magne, Tibi felicia pignora, Vates,
Gratulor, & voveo sub iniqui pondere fati
Dum sudas, mentem foveas stabilemque bonamque,
Fortiter ut possis tristes haurire labores.
Hoc Deus & virtus doceant Te & dia Poësis!

Dabam Upsalis

d. iduum Septembris,
CICIDCCCXXXIV.

Leviore vena deductum

à
JONA TIDGREN.

In felicissima Poëmata Nobilissimi
DOMINI AUCTORIS.

Gratulor, indoleo, latorque & lacrymor idem
Punctus amicitiae religione pia.
Gratulor ingenium, Divinam gratulor artem;
Indoleo fati, summe Poëta, tuis.

TH. L. ODHELIUS.

En

En Ervärdelig Lager-frank,

Sammanfåttad

Då

Thett Edle och Manhaftige Herren och Fendrickess, Herr GUSTAF LITHOU,

Sitt Höglärde Latinste Skalde-wärck til Helicons Fagnad, i Husset framgas.

Nu har på nytt hos oss en lärder Swan uprunnit,
Uppfödd i Swea Bygd, fast klädd i Romersk dragt,
Som til vårt Lands beröm ett Smycke sammanspunnit,
Thet mera wigtigt fins än Jovis Hiärna kläckt.

Thet är ett Mäster-wärck, som hwarken för the Swänsta

Så hint at bära fram med flödig lärdoms färg;

Ey heller fyllest tros at någon af Västlandska

Kän wissa i sin Vers en större kraft och märke.

Låt Nalo komma fram med Maro, Flacc' och flera,

Och med i följe ha them anmärckt theas Dick!

Jag tror af all ihop ey spissa någonthera,

At här mot thetta Wärc bli räknat uti wigt.

Herr Fendrick LITHOU Er bör fåras lof i Ceder,

Som så öddligt Kram oss skaffat på war ort

Thet ingen har behof med Noter söka heder,

Ey egen lärdoms hand har sielf tillsyllest giordt.

Jag gifar fritt thet ut, Er Bod lär nå thet wärde,

At förre Hedna-Gräl bör från oss få sitt lopp,

Och i thet stället tör bland Maler och the Lärde

Er höga Poëthe på Pindo tagas opp.

Men önskan wore wärd at all Er flisjt och möda

Then kunde med behag rätt wäl besönder blij,

At hwar och en Er Wän siel se Er walgång flöda,

Så länge wij Ert Wärc och Er i lesnad si!

Man wet Suffenus sielf, ell' Momus ej kan tadla

Ert Foster, som med flisjt så wäl inammadt är,

At thes beskaffenhet med siel sig sielfst kan adla:

Ey Dygden altid ju sitt Skolde-märke bär.

At

Olao Lindsteen,

L. L. C. och Hautboist wid Kongl. Lif-Gardie.

* * *

* * *

* * *

Perio-

Perioche Operis.

PARTIS I.

	Pag.
<i>Panegyris Exeqvialis R. CAROLI XII.</i>	I
<i>Soteria pro R. FRIDERICO</i>	97
<i>Epicedion in Com. Carolum Erici Gyllenstierna</i>	103
<i>Cupressi in tumulum Com. Mariae Wallenstedt</i>	110
<i>Propemtion Senat. Reg. Josiæ Cederhielm</i>	118
<i>ΕΑΡΑ ΑΡΕΤΗΣ Com. Michaëli Törnflycht</i>	126
<i>Arctos plorans in funere Com. Car. Ulr. Torstensson</i>	139
<i>Astræa plorans in funere Pro - Præs. Job. Zach. F. Wattrang</i>	147
<i>Plausus votivus ad Ableg. Cæs. Extra - Ord. Com. Burchardum Philippum à Fridag</i>	155
<i>Arctos pullata tumulo Superinten. Georgii Wallin illacrimans</i>	160
<i>Bonus Pastor, sive laudatio funebris Archi - præpos. Laurentii Rahm</i>	196
<i>Elegedion in manes Præpos. Laurentii Forsselii</i>	204
<i>Faces Nupt. Advoc. Fisc. Nicol. Porath & Annae Fablheim</i>	212
<i>Epicedion in Patronum Officin. Metall. Christianum von Nakrey</i>	218
<i>Amor sapiens in Nuptiis Notarii supr. Sveonum Di - cast. Bened. Fortelii & Annae Christ. von Christiersson</i>	227

Arctos

<i>Arctos exsultans ad fœdus REGUM SEPTENTRIONALIUM</i>	234
<i>Gratul. in Advent. Ableg. Extra-Ord. Porta Ottom.</i>	
<i>Desterdar Zaid Mehmet Effendi</i>	241
<i>In Poëmata Secret. Jacobi Frese elegia</i>	246
<i>In Disput. Anti-Hobbianam Barth. Hedman</i>	248
<i>In Disput. de Cervis Henrici Job. Carlborg</i>	249
<i>In Antiquit. Sveo-Gothicas D. Job. Loccenii in Sveti- cum sermonem conversas à Nic. Dahl</i>	252
<i>In Effigiem Secret. Job. Runii</i>	255
<i>Disticha Moralia</i>	255
<i>Monumentum Præpos. Mag. Henr. Forbus</i>	266
<i>In Campanam Tornoënsis</i>	268
<i>Ad Cancellarium de Gerhardi Epistola</i>	268
<i>Invitatio ad lusum aleatorium</i>	270
<i>In Albo Mag. Nicol. Wallerii</i>	275

LIBELLI SUPPLICES.

<i>Ad Collegium Status Regni</i>	277
<i>Ad Idem</i>	278
<i>Ad Com. & Senat. Regni Gustavum Cronhielm</i>	280
<i>Ad Eundem</i>	289
<i>Ad Regem FRIDERICUM</i>	292
<i>Ad Senatum Regni</i>	296
<i>Ad Ordines Regni Sveo-Gothici</i>	299
<i>Ad Interessentes & Plenipotentiariorum Generalium Regni Vectigalium redimendorum</i>	303
<i>Ad Senatum Regni</i>	306

CARMINA JUVENILIA.

<i>Chorus Symphonizans Olao Lindsteen</i>	309
<i>In Albo Ejusdem</i>	312
<i>Threnodia in Patrem</i>	312
<i>Sanso Resipiscens</i>	315

APPENDIX.

<i>Monumentum Præsid. Regim. Hasso-Casseliensis, Lib. Bar. & Eqv. Ord. S. Huberti, Johannis Friede- rici von Stain</i>	318
------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	-----

Errata.

Pag. 14. lin. 8. lege *querelarum*. p. 19. l. 15. lege *formavit*. ibid. lin. ult. lege *primos*. p. 24. not. 92. lege *timetur*. p. 27. n. 40. lege & *non interrupta*. p. 33. n. 32. lege *δρασα, δρα*. p. 47. n. 31. lege *ira accensus*. p. 48. l. 10. lege *nec*. p. 50. l. 4. lege *redimitaque*. p. 51. n. 78. lege *concha*. p. 52. n. 90. lege *vertere se in fugam*. p. 62. n. 87. lege *succrescens*. p. 81. l. 7. lege *fulcos*. ibid. n. 87. lege *crebro*. p. 92. n. 93. lege *abruptitur*. p. 93. l. 6. lege *vestitum*. p. 98. l. 13. lege *redimitaque*. p. 144. n. 58. lege *liberalitate*. p. 153. n. 48. lege *detegunturque*. p. 162. n. 9. lege *Juno*. p. 176. l. 7. lege *Enthymema*. ibid. n. 2. lege *simulata*. p. 179. n. 19. lege *Philosophia*. p. 197. l. ult. lege *ventres*. p. 199. n. 22. lege *honoratiores*. p. 206. n. 11. lege *mel optimum*. p. 218. tit. lege *decenti*. p. 223. l. 9. lege *mente*. p. 226. n. 65. lege *fornacibus*. p. 235. n. 3. lege *ab*. p. 248. l. 3. lege *robora*. p. 252. l. 6. lege *squamis*. p. 253. l. 8. lege *qualibet*. ibid. n. 7. lege *ἀπὸ τῆς*. ibid. n. 9. lege *κλέετ*. p. 254. l. 14. lege *calamo*. p. 287. n. 39. lege *rubigine*. p. 289. l. 12. lege *plausus*. p. 301. l. 5. lege *eupressiferas*. p. 305. l. 20. lege *erit*. p. 307. l. 14. lege *fuit*. p. 311. l. 12. lege *cui cessit*.

Sinnes til köps uti Weidemanniska Boklädan i Stockholm på
Stora Nygatan för 8 à 9 Daler Kopp:mt. Exemplaret.



~~18. 11. 511.~~

~~207. 11. 13.~~

~~Pier. marmok~~

Rea Kammokij. ja Taidla 2.

Lithou

Mé

